



# **Dissertatio theologica exponens doctrinam de Veteri Novoque Testamento, in epistola ad Hebraeos exhibitam**

<https://hdl.handle.net/1874/338619>

6

DISSERTATIO THEOLOGICA;

EXPONENS

DOCTRINAM DE VETERI NOVOQUE TESTA-  
MENTO, IN EPISTOLA AD HEBRAEOS  
EXHIBITAM.

UNIVERSITY OF CHICAGO  
DIVISION OF THE PHYSICAL SCIENCES  
DEPARTMENT OF CHEMISTRY  
PHYSICAL CHEMISTRY  
1911

PHYSICAL CHEMISTRY

DISSERTATION

DOCTRINE OF THE  
METHYLIC ACID

BY

THEODORE

PH.D. 1911

CHICAGO, ILL. 1911

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICAL CHEMISTRY

1911

DISSERTATIO THEOLOGICA,

EXPOSUENS

DOCTRINAM DE VETERI NOVOQUE TESTA-  
MENTO, IN EPISTOLA AD HEBRAEOS  
EXHIBITAM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**SIMONIS KARSTEN,**

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN

**THEOLOGIA**

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

**IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA**

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,


PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

**FREDERICUS CONSTANS VAN DEN HAM,**

ROTTERODAMENSIS.

SS. ANTIISTES IN VICO VEENENDAAL.

A. D. XXI M. JANUARIII A. MDCCCXLVII, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCXLVII.



DOCTRINAM DE VITAE NOVOQUE TESTA  
MENTO IN EPISTOLA AD HEBRAEOS  
EXHIBITAM

SINONIS KARSTEN

THEO GRAVE HOLLANDIAE

THEOLOGIA

FREDERICUS CONSTANT VAN DEN HAAN

A. B. DE J. VAN DER ...

THEO KEMMIE & KILJAN ...

PRAEFATIO

PARENTIBUS OPTIMIS  
CARISSIMIS

SACRUM.



## PRAEFATIO.

---

*Peractis studiis Academicis, quum in eo essem, ut almae meae Matri valedicerem, consilium me cepit otium meum viresque ad scribendam dissertationem conferendi, ut summos in Theologiam acquirerem honores. Admonuere me continue amici, suadebant item praeceptores; nullamque ipse reperiēbam causam, cur non periculum facerem mearum virium, modo hae voluntati responderent. Peractis igitur examinibus q. d. doctoralibus, mox omne tempus meum impendi, elaborando gravissimo, quod in hoc specimine tractavi, argumento: quod argumentum quare tractandum mihi elegerim in dissertationis Introitu indicavi.*

*Ecce vero, mediis in disquisitionibus, ad vitam practicam me vocatum vidi, quum, Dei benignitate, S. S. Min. Candidatis via adscripto, coetus mihi gubernandus obtigerit, illeque, ex sapienti Domini voluntate, ejusmodi amplitudinis, ut omne tempus omnesque vires gravissimo meo muneri gerendo religiose dare me oporteret. Quid mirum, me per longum adeo tempus, de consilio exsequendo non amplius cogitasse, meamque disquisitionem,*

*magnam partem jam absolutam, in scriniis latuisse, non facile, ut putabam, ex iis depromendam; imo tandem eo me pervenisse, ut, quod ceperam, consilium prorsus mittendum ducerem? Sed, post quatuor et quod excurrit, annos, instigantibus prae ceteris cum Promotore aestumatissimo, V. Cl. VINKE, tum Viro doct. mihiq̄e conjunctissimo SCHOUW SANTVOORT, denuo excitabatur ardor pristini laboris aggrediendi et persolvendi. Quem tamen quum considerassem, continuo intelligebam, non novam argumenti elaborationem institui posse; sed acquiescendum mihi fore in praestandis, quae scripseram, et absolvendis, quae adhuc tractanda superessent.*

*Rogatum igitur volo lectorem, ut benigno animo hoc specimen accipiat, illudque, pro majore certe parte, Academici laboris fructum habeat, quem multâ emendatione indigere, intime ipse persentisco.*

*Attamen ne quis putet, praeterlapsos inde ab Academico studio annos grati animi sensus extinguere potuisse pro tot tantisque beneficiis, quae Praeceptores mei tum in Propaedeuticis, tum in Theologicis, in me contulerunt. Eximiam, quae in Academiâ Rheno-Trajectinâ mihi contigit, institutionem per totam vitam recordabor. Unicum vero, quod pro omnibus me erga praestitis bonis, offerre possum, sinceram grati animi significationem, benigne accipere ne dedignemini, Praeceptores aestumatissimi! Vobis in primis, VV. CC. BOUMAN et ROYAARDS! ex pleno pectore, gratias ago tum pro egregiâ Vestrâ institutione, tum pro honorificâ, quâ me ornare haud recusavistis, amicitîâ. Sancta mihi semper erunt Vestra nomina. Pergatis quaeso meis studiis favere, Vestrâque me prosequi benevolentîâ. Te vero praesertim publice*



compellare jubet me animus, *Clar. VINKE*, Promotor carissime! Etenim non tantum in ceteris omnibus, quibus operam dedi, studiis, summe de me meritus es, verum in hac quoque commentatione conscribendâ, nunquam mihi defuerunt utilissima Tua auxilia et monita. Singulari me benevolentia excepisti, atque cum publicâ, tum privatâ institutione mentem meam aluisti et conformasti. Accipe debitas, quas in Te confero, gratias, etiam pro suavissimâ, quâ frui mihi licuit, consuetudine familiari. Pater coelestis Te Tuosque Collegas diu servet incolumes, bonisque in numeris Vos cumulet!

Quid vero Tibi dicam, dilectissime Pater! Profecto, quod Tibi, adhuc viventi, disquisitionem meam dicare possum, haud parum confert ad summas, solenni hoc die gratias agendas Deo Optimo Maximo! Scilicet, una cum Matre carissimâ, inde a primis vitae meae exordiis, intimo amore me prosecutus es et amplexus. Quantâ tum sollicitudine tuus premebatur animus, cum, pluribus jam caris capitibus Tibi ereptis, mea quoque vita infirmâ atque aegrâ valetudine languescere videretur! Quam ardentibus Patri coelesti agebas gratias, quum, benignissimâ Ejus curâ, periculum evanisset! Neque Tu μειζότεραν habebas χαράν, quam ut, ex Apostolico praecepto, τέκνα Tua ἐν ἀληθείᾳ, prouti in CHRISTO JESU est, περιπατησῶσιν. Omnis Tuae institutionis Ille, ὁ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς Ἰησοῦς, semper fundamentum erat. Quantâ animi voluptate Te loquentem audiebam de sacro gravissimoque, quo fungeris, munere; ita ut me etiam summo ejus gerendi ardore impleres! Quanto animus gaudio exultabat, quum proprio desiderio illi me vires meas consecrare velle, testificarer. Hinc cura

illa tenerrima, quâ per totum stadium Academicum me prosecutus es, et adhortatio continua, ut, studiis strenue operam dans, CHRISTUM, τὴν κεφαλὴν, servarem. Hinc sancta illa laetitia, quum primum me Evangelium annunciantem audiebas; maxime, quam, Te duce, gravissimum meum munus auspicabar. Gratias iterumque gratias Tibi palam ago, dilectissime Pater! pro his ceterisque omnibus, quibus me cumulasti, beneficiis. — Tu vero, benignissime Deus, idemque Pater noster in JESU CHRISTO! gratissimi animi sensibus filium imbuas pro tanto Tuo amore, quo tali Patre terrestri gaudere mihi contigerit! Tu et senescenti Eī benigne adesse pergas, et diu Eum serves coetū, cognatis, filio! Tu vires Ejus sustentas, Tu preces Ejus exaudias, Eumque aliquando per CHRISTUM, coelesti Tuâ gloriâ ornes!

Vos tandem, solenni hac opportunitate, non recordari non possum, quos in Academiâ Rheno-Trajectinâ amicos habui sincerrimos, variis jam muneribus fungentes. Menti meae etiamnum obversantur dies illi, laetitiae pleni, quos in vestro commercio transegi, horae illae jucundae aequae ac utiles, quas vobis acceptas refero. Multa eaque varia ab eo inde tempore acciderunt, sed meum erga vos amicitiae sensum extenuare non potuerunt. Ut Vestrum memor semper fui; ita numquam me vos obliturum vobis sit persuasissimum. Deum autem precor, ut vinculum, quod nos conjungit, in dies adstringatur, et magis magisque in Illius honorem cedat! Vivite omnes felices, meique memores sitis!

Scripsi in vico Veenendaal,  
dic 8 mensis Jan. 1847.

## DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

### INTROITUS.

- § 1. Disquisitionis ratio et argumentum. . . . . Pag. 1.  
§ 2. Epistolae ad *Hebraeos* scriptor. . . . . » 4.  
§ 3. De iis, ad quos eam miserit scriptor. . . . . » 10.  
§ 4. De sermone, quo scripta sit epistola. . . . . » 13.  
§ 5. De ejus consilio, argumento et pretio. . . . . » 15.

### PARS I.

#### SCRIPTORIS SENTENTIA DE VETERI TESTAMENTO.

#### CAPUT I.

- QUA RATIONE V. T. VATICINIA CITET. . . . . » 23.
- § 1. Quà ratione V. T. locos citet. . . . . » —
- I. Quod ad *materiam*. . . . . » —
- A. Tamquam vaticinia proprie sic dicta. . . . . » 24.
- B. Per typicam interpretationem. . . . . » 25.
- C. Per applicationem. . . . . » —
- II. Quod ad *formam*. . . . . » 26.
- A. Versionem *Alexandrinam* sequitur. . . . . » —
- B. Libere in citationibus versatur. . . . . » 27.
- § 2. Quid de V. T. vaticiniis censeat. . . . . » 28.
- I. Scriptoris sententia exponitur. . . . . » —
- A. Deo omnia refert. . . . . » —
- B. Spiritum, non litteram curat. . . . . » 29.
- II. Vindicatur. . . . . » 31.
- In triplici vaticiniorum genere, minime suo arbitrio agit. » —
- Ubi unius vocis significationem urget. . . . . » 36.
- Varii hujus generis loci explicantur et vindicantur. » 37.



## CAPUT II.

QUA RATIONE V. T. HISTORIA UTATUR. . . . . Pag. 44.

- § 1. *Typicus* V. T. historiae usus. . . . . » —
- I. Loci recensentur. . . . . » —
- II. Scriptoris sententia exponitur. . . . . » 51.
- A. Quid scriptor per *typos* intelligat, atque ubinam ex ejus sententiâ in V. T. historiâ occurrant. . . . . » —
- B. Quonam fundamento ejus argumentandi ratio nitatur. . . . . » 56.
- C. Quamnam lucem nonnullis typicis vaticiniis scriptoris typologia afferat. . . . . » 58.
- § 2. *Practicus* V. T. historiae usus. . . . . » 59.
- I. Exempla, quibus suos admonet lectores, ne ad *πεισριας* prolabantur. . . . . » 60.
- A. *Israëlitarum*. . . . . » —
- B. *ESAYI*. . . . . » 62.
- II. Exempla, quibus eos ad fidem pietatemque adhortatur. » 63.
- A. *ABRAHAMI*. . . . . » 64.
- B. *Piorum*. . . . . » —
- Quasnam de *Messia* atque vitâ aeternâ notiones V. T. piis tribuerit scriptor. . . . . » 65.
- Quomodo *SARA*, *RACHAE*, *SIMSONUS*, alii, in hoc sanctorum catalogo ab eo recenseri potuerint. . . . » 68.

## CAPUT III.

QUA RATIONE DE V. T. SACRIS STATUAT. . . . . » 74.

- § 1. *Cultus Mosaicus* a Deo institutus. . . . . » 75.
- I. Divina hujus cultûs origo. . . . . » —
- II. Tria in primis in epistolâ considerantur. . . . . » 76.
- A. *Sacrarium*. . . . . » —
- B. *Sacerdotes*. . . . . » 78.
- C. *Sacrificia*. . . . . » 80.
- § 2. *Cultus Mosaicus* μή δυνάμενος κατὰ συνείδησιν τελειῖται τὴν λατρεύοντα. Ejus vis atque efficacitas. . . . . » 82.
- I. Quatenus ipsi vim tribuerit scriptor. . . . . » —
- A. *Per tempus* tantummodo valebant sacrificia. . . . » —
- B. Non nisi ea peccata tollere poterant, quae *ex inscitiâ*, non de industriâ commissa erant. . . . » 83.
- C. Non nisi *quod ad carnem* sanctificabant. . . . . » 84.

II. Quonam sensu ipsi vim tribuerit. . . . .	Pag. 84.
A. Non sensu reali. . . . .	» 85.
Neque sensu physico. . . . .	» —
Neque civili. . . . .	» 86.
B. Sed sensu <i>symbolico</i> . Exponitur, atque simul ostenditur, <i>substitutionis</i> notionem sacrificiis inesse, atque a nostro scriptore doceri. . . . .	» —
§ 3. Cultus <i>Mosaicus</i> οὐκ ἄμεμπτος, γηράσκων, σκία τῶν μελλόντων.	
Divinum ejus instituti consilium. . . . .	» 93.
I. Illud institutum unum atque magnum N. T. habuit typum. . . . .	» —
II. In illo agnovit institutionem, quā <i>Israëlitæ</i> Evangelio accipiendo praepararentur. . . . .	» 97.
A. Culpae sensus. . . . .	» —
B. <i>Messiani</i> temporis desiderium excitabat. . . . .	» 98.
III. Institutio fuit imperfecta atque mox abroganda. . . . .	» 99.

## PARS II.

### SCRIPTORIS SENTENTIA DE NOVO TESTAMENTO.

Summa ejus praestantia. . . . .	» 101.
---------------------------------	--------

### CAPUT I.

JESU CHRISTI PERSONA. . . . .	» 102.
§ 1. Praestantior <i>Angelis</i> . . . . .	» 103.
I. Sublimior ejus natura. . . . .	» 104.
A. Dei filius est atque imago. . . . .	» —
B. Praeexistentia ejus. . . . .	» 107.
C. Omnium rerum dominus. . . . .	» 108.
II. Humilior ejus natura. . . . .	» 111.
A. Jesus est verus homo. . . . .	» 112.
B. Triplex assumtae naturae humanae consilium. . . . .	» 113.
§ 2. Praestantior <i>MOSE</i> . . . . .	» 115.
Amborum similitudo, et <i>CHRISTI</i> prae <i>MOSE</i> praestantia. . . . .	» —
I. Ut universae Dei domus conditoris. . . . .	» 116.
II. Ut Dei filii et principis domus. . . . .	» 117.
§ 3. Praestantior <i>summo Sacerdote</i> . . . . .	» 118.
I. Similitudo. . . . .	» 120.
A. <i>CHRISTUS</i> est <i>summus Sacerdos</i> . . . . .	» —
B. Ex <i>hominibus</i> sumtus . . . . .	» —
C. A <i>Deo</i> constitutus. . . . .	» 121.
D. <i>Sacrificia</i> offert. . . . .	» —

II. Dissimilitudo . . . . .	Pag. 122.
A. Quod ad majestatem <i>personae</i> . . . . .	—
1. Quae prorsus unica fuit et singularis. . . . .	—
2. Sancta. . . . .	—
3. Aeterna. . . . .	123.
4. Illaestris. . . . .	—
B. Quod ad <i>viam</i> , quâ Pontifex factus sit, <i>ratio-</i> <i>nemque</i> , quâ sit inauguratus. . . . .	—
C. Quod ad <i>eius munus</i> . . . . .	126.
1. Melius obtulit <i>sacrificium</i> . . . . .	—
a. Unicum sacrificium. . . . .	—
b. Se ipsum obtulit. . . . .	127.
c. Non pro suis ipsius peccatis. . . . .	128.
d. Effectus atque vis ejus sacrificii. . . . .	—
2. Praestantius ingressus est <i>sanctuarium</i> . . . . .	130.
a. Coeleste. . . . .	—
BONNI sententia refutatur. . . . .	131.
b. Apertum. . . . .	133.
c. Aeternum. . . . .	134.
3. Melioris <i>foederis</i> est Sacerdos. . . . .	135.
a. Novum est foedus. . . . .	136.
b. Multo praestantius. . . . .	137.
α. Quod ad rationem, quâ inauguratum sit. . . . .	—
β. Quod ad spirituales ipsius indolem fru- <i>ctusque saluberrimos</i> . . . . .	138.
c. Omnes complectens. . . . .	—
d. Aeternum. . . . .	139.
§ 4. Praestantior omnibus V. T. <i>sanctis</i> ; ἡ τῆς πίστεως ἀρ- <i>χηγὸς καὶ τελειωτὸς Ἰησοῦς</i> . . . . .	—

## CAPUT II.

JESU CHRISTI OPUS. . . . .	143.
SECTIO I. Quid JESUS in <i>hacce terrâ</i> praestitit. Θεωρία καὶ προσφορά. . . . .	144.
§ 1. Terrestris JESU CHRISTI operis <i>ratio</i> . . . . .	145.
I. Perpassiones atque mors prae ceteris memorantur. . . . .	146.
A. Ex Patris voluntate omnia evenerunt. . . . .	—
B. Perpassionibus atque morte praecipua terre- <i>stris JESU operis pars continetur</i> . . . . .	147.
II. Summâ obedientiâ <i>se ipsum</i> obtulit. . . . .	149.



§ 2.	JESU operis <i>consilium</i> . . . . .	Pag. 152.
I.	Ejus perpeſionum mortisque <i>consilium</i> . . . . .	» 154.
A.	Tamquam sacrificium piaculare proponuntur. . . . .	» —
B.	Valuerunt <i>εις απολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ δια-</i> <i>θήκῃ παραβάσεων</i> . . . . .	» 158.
C.	Alii pro vicariâ earum notione spectantur loci. . . . .	» 160.
II.	Obedientiae <i>consilium</i> . . . . .	» 162.
A.	Arctissimus, qui huic obedientiae cum ejus perpeſionibus et morte intercedit, nexus. . . . .	» —
B.	Suorum loco obedientiam exercuit. . . . .	» 163.
C.	Difficultates amoventur. . . . .	» 165.
§ 3.	JESU vitae mortisque <i>fructus</i> sive <i>effectus</i> . . . . .	» 167.
I.	Ipse <i>τελείος</i> est factus eoque consecutus est sum- mum, quo Deus eum ornavit, honorem. . . . .	» 168.
II.	Ipsi obedientes <i>objectivo</i> sensu perfecti sunt, ita ut eorum peccata expiata sint, ipsique a metu mortis liberati. . . . .	» 170.
A.	Quid per <i>Christianorum τελείωσιν</i> intelligat scriptor. . . . .	» 171.
B.	<i>Fructus</i> hujus <i>τελειώσεως</i> . . . . .	» 173.
1.	Peccatorum remissio. . . . .	» —
a.	Quid per hanc peccatorum <i>ἔφεσιν</i> intel- ligendum sit. . . . .	» —
b.	Quaenam peccata remittantur. . . . .	» 176.
2.	Ipsius mortis abolitio, atque adeo ab anxio mortis metu liberatio. . . . .	» 177.
3.	Dei in gratiam restitutio gloriaeque perennis. . . . .	» 180.
III.	CHRISTUS idoneus est factus, ad nostras res cum misericordiâ curandas. . . . .	» 182.
A.	Quomodo posset evadere misericors. . . . .	» 184.
B.	Quatenus homo sanctus sollicitari potuerit. . . . .	» 185.
	Notio <i>πειρασμοῦ</i> non necessario ponit peccatum. . . . .	» —
	CHRISTUS sollicitatus est <i>χωρὶς ἁμαρτίας</i> . . . . .	» 186.
IV.	Terrestre ejus opus valet etiam ad <i>sanctos</i> nos reddendos. . . . .	» 188.
A.	Summum nobis praebuit exemplum. . . . .	» —
B.	Suos ducere potuit <i>subjectivo</i> sensu ad <i>ἁγιασμόν</i> . . . . .	» 189.
V.	Finem imposuit cultui <i>Levitico</i> . . . . .	» 190.
SECTIO 2.	JESU opus <i>coeleste</i> . <i>Ἀρχιερεύς</i> . . . . .	» 192.
§ 1.	Quo sensu JESUS in coelo <i>summus Sacerdos</i> vocatur. . . . .	» —
§ 2.	Sedet ad dextram <i>τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς</i> . . . . .	» 196.

I. De formulâ <i>sedere ad dextram Dei</i> . . . . .	Pag. 196.
II. De regiae JESU dignitatis <i>indole</i> , exinde derivandâ. . . . .	» 198.
III. De illius imperii <i>consilio</i> . . . . .	» 200.
§ 3. Redibit aliquando <i>χωρίς ἁμαρτίας</i> , suisque aeternam tribuet quietem. . . . .	» 201.
I. Quid scriptor doceat de JESU <i>reditu</i> . . . . .	» —
A. Num CHRISTI adventum <i>proprie</i> , an <i>improprie</i> sibi informaverit. . . . .	» 202.
B. Quando CHRISTI reditus obtinebit. . . . .	» 203.
II. <i>Quaenam res</i> huic reditui conjunctae cogitentur. » 205.	
A. Ultimum <i>judicium</i> . . . . .	» —
B. <i>Hostium profligatio</i> . . . . .	» 207.
C. <i>Piorum beatitas</i> . . . . .	» 208.

## CAPUT III.

QUA RATIONE JESU CHRISTI FRUCTUUMQUE OPERIS, AE EO

PATRATI, PARTICIPES FIANT MANEANTQUE CHRISTIANI. . . . .	» 214.
§ 1. Libere Deum adire debent <i>Christiani</i> . Πίστις. . . . .	» —
§ 2. Ἐλπίς. . . . .	» 219.
§ 3. Patienter calamitates subire debent <i>Christiani</i> . Στηριγμός, ὑπομονή. . . . .	» 223.
§ 4. Ἀγάπη καὶ καλὰ ἔργα. Varia officia colere debent <i>Christiani</i> . . . . .	» 224.

## INTROITUS.

---

### § 1.

#### *Disquisitionis ratio et argumentum.*

Quae proprio eminentique sensu *Biblica* hodie dicitur Theologia, recentioribus in primis temporibus exulta est. Haec scilicet indagat, quid singuli librorum ss. scriptores de rebus divinis docuerint, literisque tradiderint. Nulli systemati adiecta, praeconceptisque opinionibus libera, tota in eo est, ut quid scriptum sit intelligat atque exponat 1). Omni philoso-

---

1) K. W. Steinius, *Ueber den Begriff und die Behandlungsart der bibl. Theol. des N. T.*, in Keilii et Tzschirneri, *Analectis*, III. I. p. 151-204, recte hanc notionem profert, p. 165: »Der bibl. Theolog, der »keinen andern Zweck hat, als die Lehren des Christenthums historisch »kennen zu lernen, muss diese Lehren auch historisch betrachten, d. h. mit »Rücksicht auf die damaligen religiösen Vorstellungen der Juden; da er es »indessen mit mehreren einzelnen Schriftstellern zu thun hat: so muss er je- »den besonders betrachten, und indem er sich mit den verschiedenen Zweigen »der jüdischen Dogmatik bekannt macht, sich sorgfältig hüten, nicht alle »Schriftsteller unter eine Klasse zu bringen. Zu allen diesen Operationen ist »aber eine genaue Kenntniss des individuellen Characters des jedesmaligen »Schriftstellers nöthig, um genau zu bestimmen, aus welcher Quelle er ge- »schöpft habe, und wie viel für seine eigene wirkliche Ueberzeugung zu »halten sey;“ et p. 189: »B. Th. ist diejenige Wissenschaft, welche die

phâ ratiocinatione omissâ, scriptoris mentem atque doctrinam, temporis, quo vivebat, ratione habitâ, historice inquirat. Cum autem tot diversorum scriptorum monumenta in S. C. inveniuntur, singula seorsim sunt tractanda, quaeque iis priva et propria sint, animadvertenda, ut deinceps secum invicem conferantur, atque illorum convenientia divinaque origo eo clarius perspiciantur. Ex hisce sponte sequitur, nullam systematicam formam, sed ipsius scriptoris cogitandi rationem inquisitionis esse normam, partemque dogmaticam cum practica artissime esse conjunctam 1). Meram autem locorum recensionem atque coördinationem aequè minus sufficere: sed omnibus, minimis etiam in usum adhibitis, in mentem scriptoris indagandum esse, facile patet. Ejus phrases locutionesque, ne minimis quidem neglectis, accurate servandi atque ex ejus mente interpretandi, Biblicae Theologiae est munus. Quod quo simplicius atque accuratius fit, eo melius proposito satisfieri censendum est. Quae omnia si reputamus, non leve profecto existimabimus Theologi biblici munus; qua de re

---

» rein-hist. und dem jedesmaligen Character der Schriftsteller gemäss erklärten » einzelnen Bibellehren systematisch zusammenstellt, dabey aber weder in » Ansehung des Inhaltes, noch in Ansehung der Form, die Dogmatik und » Religionsphilosophie unseres Zeitalters zu Rathe zieht." Cf. et W. Vatke, *Die bibl. Theologie wissenschaftlich dargestellt*, T. I. Berol. 1835, § 2 sqq. pag. 2 sqq., et D. G. C. von Cölln's *bibl. Theologie — herausgeg. von D. Schulz*, T. I. Lips. 1836, § 1, pag. 3 sqq. Alios laud. vid. ab F. F. Fleck, *Abhandl. über die bibl. Theol. als Wissenschaft und Erzeugniss unserer Zeit*, in *Journ. für Pred.*, herausgeg. von Bretschn., Neander u. Goldh. 1825. Jan. p. 1 p. 18 sqq. Add. M. Ulrich *Versuch einer Eintheil. der bibl. Dogmatik des N. Ts.* in *Röhr krit. Pred. Biblioth. Theol. Notizenblatt*, 1838. no. 1. p. 159-184. et Schmid, *über das Interesse und den Stand der bibl. Theologie des N. T. in unserer Zeit*, in *Tübinger Zeitschr. für Theol.* 1838. p. 4. pag. 125-160.

1) Vidd. L. F. O. Baumgartenus-Crusius, *Grundzüge der bibl. Theol.* § 1. p. 3. Jen. 1828, K. W. Steinius, l. l., et auctores ibi II.; Kraemerus, *Schriftf.* II. initio; Palmerus, in ejus *Recens. operis Frommanni Joh. Lehrb.*, quae inserta est in *Thol. Litt. Anz.* N. 20. S. 156. 1840.



quum intime persuasum mihi sit, ne materiam mihi sumsisse videar, imparem plane viribus, non nisi exiguam partem in hoc specimine tractare conabor, quod vix cuiquam minus placiturum puto, quam mihi ipsi:

Cum vero aliquam scriptorum ss. partem quaereremus, quam laudatâ ratione tractaremus, epistola ad *Hebraeos* sponte se nobis obtulit, quippe quam in *PABLI* doctrinae expositione, ab *USTERTO*, *MEYERO*, *DAHNIO*, aliisque datâ, vel plane omissam, vel leviter tantum tractatam cerneremus. Imo vero etiamsi nonnulla capita seorsim sint elaborata 1), nullam tamen totias epistolae disertam expositionem cognitam habemus; quae quantopere desideretur, nemo facile negabit. Quoad igitur ejus a nobis fieri possit, accuratum doctrinae, ab hujus epistolae scriptore expositae, conspectum tradere, in hac qualicumque tandem disputatione conabimur, quamvis hujus laboris defectum plane persentientes.

Quod attinet ad ordinem, quo nostra disquisitio procedet, duabus, licet ambitu disparibus, absolvetur partibus, quarum *altera* tempora ante *CHRISTUM* effluxa continebit, *altera* post *CHRISTUM* elapsa. Ad hanc enim divisionem ipsius epistolae argumento sponte ducimur, quod totum in harum periodorum diversitate versatur. In prioris, ante-Christianae scilicet, periodi expositione, in censum veniunt sententiae scriptoris de *V. T. vaticiniis*, *historiâ* et *cultu Judaïco*; quibus in posteriori parte opponitur sublimior *CHRISTI* majestas, prouti haec cernebatur in *Ejus personâ* atque *opere terrestri* et *coelesti*; de quibus omnibus scriptor exponit, ut epistolae lectores ad majorem fidem constantioremque Evangelii confessionem incitentur. Hoc modo practica atque theoretica ejus pars arctissime conjunguntur.

1) Sic v. c. *J. A. Lotzins* et *G. Hesselinkius* scripserunt, in *Opp. Soc. Hag.* 1798, *de munere J. C. Sacerdotali*; *A. Rutgersius van der Loeff*, *de Sacrificiis Mosaicis*, in *Diario Waarh. in Liefde*, 1839; *T. A. Seyffarthus*, *de Christologia hujus epistolae*, in *Bertholdti Krit. Journal*, XV. 8. 1-30; alii alia.



Sed nonnulla praemittenda sunt de ipsius epistolae *argumento et ratione*, licet uberior hujus rei disquisitio a nostro proposito aliena videatur; quippe quam una dissertatio haud facile possit complecti. Qua igitur in re ut breviores esse possimus, ad BLEEKII, THOLUCKII aliorumque in hanc epistolam introitus lectores ablegamus, pauca tantum monituri, quae nostrum consilium inquirendique rationem clariore in luce ponant.

## § 2.

*Epistolae ad Hebraeos Scriptor.*

Quod attinet igitur primum ad quaestionem de scriptore hujus epistolae, omnibus cognitum est, quam gravissimae lites inter eruditos de ea actae sint, quamque diversissimae omni tempore hac de re sententiae exstiterint. Jam Sacrorum emendatorum diebus a LUTHERO, CALVINO aliisque praestantissimis viris *Paulina* ejus origo negabatur; quorum sententiae recentioribus temporibus plurimi Interpretes calculum adjicientes, vel PAULO auctori eam denegarunt, vel Apostolicam ejus originem saltem in dubium vocarunt. Horum antesignani SEMLERUS, MICHAËLIS<sup>1)</sup>, ZIEGLERUS sunt censendi: quos secuti sunt EICHHORNIUS, BERTHOLDTUS, HÄNLEINIUS, SCHOTTUS, SCHMIDTIUS, CREDNERUS, WETTIIUS, in eorum in N. T. prolegomenis, et BÖHMIUS, KUINOELIUS, MYNSTERUS, SCHULZIUS, SEYFFARTHUS, ULLMANNUS, VATKIUS, TWESTENUS, THOLUCKIUS, OLSHAUSENUS, GROSSMANNUS, BLEEKIUS, in Commentationibus<sup>2)</sup>. Horum nonnulli, ulterius procedentes, alium

1) Semlerus tamen postea magis ad Paulum epistolae auctorem agnoscendum inclinabat; Michaëlis vero, cum antea Paulo eam tribuerat, deinceps ei abnegavit hanc epistolam. Cf. K. W. Steinius, *der Brief an die Hebr. theor. pract. erklärt*, 1828. p. 3.

2) Eichh. *Einl.* III. p. 453 sqq. 1841; Berth. *Einl.* VI. p. 2905 sqq. 1819; Hänl. *Einl.* I. 151 sqq. 1801; Schott. *Isag.* p. 328-71. 1830; Schmidt. *Einl.* I. 289 sqq. 1804; Credn. *Einl.* I. 2. S. 490 sqq.; Wettius, *Einl.* ed. 3. 245 sqq. 1834; Böhmus, *Com.* Lips. 1825; Kuin.

quam PAULUM nominatim suspicati sunt auctorem, veluti GROTIUS, HUGIUS (qui, PAULO licet auctore, ab alio tamen conceptam esse epistolam statuit), KÖHLERUS, qui LUCAM 1), LUTHERUS, CLERICUS, HEUMANNUS, SEMLERUS, ZIEGLERUS, DINDORFIUS, WETTIUS, BLEEKIUS et THOLUCKIUS, qui APOLLONEM 2); CAMERARIUS, SCHMIDTIUS, ULLMANNUS et TWESTENUS, qui BARNABAM 3); ERASMUS et CALVINUS, qui CLEMENTEM *Romanum*, quem EUSEBIUS et HIERONYMUS jam convertisse epistolam in Graecum sermonem opinati fuerant; BÖHMIIUS et MYNSTERUS, qui SILAM sive SYLVANUM epistolae auctorem habuerunt. Aliam proposuit sententiam BAUMGARTENUS-CRUSIUS 4), statuens PAULI epistolis ad *Ephesios* et *Colossenses* Alexandrinum quemdam ejus discipulum usum fuisse, ut hanc ad *Hebraeos* conficeret; ne eorum mentionem injiciamus, qui multo post apostolicam periodum confectam eam existiment.

Contra ab apostolo PAULO eam profectam esse omni tempore defenderunt atque etiamnum multi defendunt; quorum tamen nonnulli eam ab alio Graece esse versam non negant. Praecipui sunt STORRIUS, STEUDELIIUS, CRAMERUS, MÜNTINGHIUS, FROM-

---

*Comm.* p. 26. 1831; Mynst. *Kl. Theol. Schriften*, 1825. p. 91-140, et in *Stud. u. Krit.* II. 2. p. 223 sqq.; Schulz. *Uebers.* 1818; Seyff. *de epist.* etc. 1821; Ullm. *Stud. u. Krit.* I. 2. 377 sqq.; Valk. in *Jahrb. für wiss. Krit.* 1832. 885; Twest. *Dogm.* ed. 2. 105; Thol. *Komn.* 1-70; Olsh. *Nachweis der Aechtheit* etc., et in *Op. Theol.* 89 sqq.; Grossm. *de phil. Jud. sacrae vestigiis in Ep. ad Hebr.* 1833; Bloek. *Comm.* I. 82 sqq.; Neander. *Gesch. der Pflanz.* etc. II; et *Anonymus*, in *Bibl. v. Theol. Lett.* 1803. I. p. 85-127, 221-271, *Proevend onderzoek, naar 't geen men te denken* etc.

1) Grotius, *Comm.*; Hug. *Einl.* II.; Köhl. *über die Alf.* etc. p. 205 sqq. 1820. Jam Clemens *Alex.* Lucam epistolam Graece vertisse statuit, ap. *Eus. H. E.* VI. 14.

2) Zieglerus, *Einl. in den Br.* etc., Göt. 1791. Cf. Crednerus, p. 554, qui alios etiam hujus sententiae patronos assert.

3) Contra quam sententiam vidd. argumenta ap. Olsh., *Op. Theol.* p. 110 sqq.

4) In *Programm.* 1829: *de origine ep. ad Hebr. conjecturae*; de quibus cf. Lückius, *Stud. u. Krit.* III. 2. p. 450, et Schottus, *Isag.* p. 366.

MANNUS, GELPKIUS, HUGIUS, KLEE, HOFST. DE GROOT, KLEUKERUS, MEYERUS, SCHREIBELIUS, SCHULTHESSIUS, STUARTUS, PAULUS, WEBERUS, HEINRICHSIUS, STEINIUS, STIERIUS, LOMBUS 1). Denique non defuerunt, qui mediâ viâ procedentes, PAULO quidem in conscribenda hac epistolâ vim atque auctoritatem agnoverunt; sed unum alterumve ejus discipulum scriptorem ejus habuerunt, veluti SCHOTTUS, FEILMOSERUS, NEANDERUS, et aliquatenus WETTIUS, OLSHAUSENUS, alii 2).

Diversissimarum harum de epistolae origine sententiarum accuratam dijudicationem nemo facile requiret, qui, hujus quaestionis ambitus memor, secum reputet, nostri esse epistolam per se spectare, nullâ Paulinorum scriptorum ratione habitâ. Namque explanare tantum volumus quid scriptum sit, non vero quis scripserit indagare.

Attamen ut nostram etiam sententiam hac in re candide impertiamur, quid in praesentiarum nobis videatur, paucis exponere liceat. Me igitur iudice, nondum omni dubio ma-

1) Storrius, *Der Brief P. an die Hebr.*, Tub. 1789. *Einl.* 8. 5-84; et *Prolusio de consensu epp. P. ad Heb. et Galatas*, 1781, in *Comm. theol. ed. a Velth., Kuin. et Rup.* II. p. 394-420; Steud. in *Beng. Archiv*, IV. 1. 63-108; *Cram. Com.*; *Munt. Gesch. der menschl. naar den bijbel*, X. ed. 2. p. 99, et ann. 63; *Fromm., de disciplina arcani*, p. 12; *Gelpkius, vindiciae originis Paul. ad Heb. epistolae, nova ratione tentatae*, L. B. 1833; *Hug. in ipsius Diario Freib.* I, et *Einl.* II. 8. 424 sqq. ed. 2; *Klee, Komm. Mag.* 1833. 1-15; *Hofstede de Groot, ep. ad Heb. cum Paul. ep. comparatur* in *Ann. Acad. Rh. Traj.* a. 1824-25; *Kleuk., über Ursprung u. Zweck der apost. Br.*, Hamb. 1799. 189 sqq.; *G. W. Meyerus* in *Berth. Journ.* II. 3. 225-280, quae vern. sermone leguntur in *Bijdr. tot de beoef. en gesch. der godg. wet.* VII. 1819. 351-397, *verhand. over enige inwend. gronden voor de vervaard. van — door Paulus*; *Scheib.*, in *Köthes Zeits.* I. 1; *Schulth., Theol. Annalen*, 1818. 753 sqq.; *Stuartus, Com.* I. 1828; *Paulus, Com.*; *Web., de numero ep. ad Cor. rectius constituendo*, 1-12. *Vit.* 1798; *Heinr.* 8. 8; *Stein., Comm.* 1-59, Lips. 1838; *Stierius, der Br. an die Heb.* I. 1, 22; *C. Lombus, Comm. Rat.* 1843, p. 7-17; *D(a) C(osta), de brief aan de Hebreëen*, in *Ned. Stammen.* IV. 220-224, en 244-249.

2) *Schott.*, l. l.; *Feilmos., Einleit.* ed. 2. 1830; *Neand.*, l. l.; *Wett.*, *Einl.* 8. 257; *Olsh.* l. l.



jora allata sunt testimonia, quibus inductus epistolam PAULO deroges, prouti multi clamitant, imo vero adhuc sub judice lis esse mihi quidem videtur. Plurima argumenta pro *Paulinâ* origine, eaque gravissima nec facile refutanda, afferri possunt. Etenim quod ad externa attinet, negari nequit, in Ecclesiâ *Orientali* exstitisse historicam traditionem, quâ Paulinum illa habita sit scriptum; neque est profecto hujus Ecclesiae consensus contemnenda, cum epistola profecta sit ex *Oriente*, ubi primi ejus lectores habitasse constat. Quod contra affertur argumentum, ductum e silentio, huic magnum pretium tribuere non auserim. EUSEBIUS et ORIGENES de CLEMENTE quidem loquuntur; sed hoc eorum enunciatum magis indicare videtur, PAULUM fuisse auctorem, CLEMENTEM vero scribam, unde stilus et sermonis structura Paulinam rationem minus referrent; quod BLEEKIUS, ceteroquin acerrimus disputator, non satis distinxisse videtur 1). Orientales ergo si audimus testes, epistola PAULO abnegari nequit. Sed aliter se res habet, si Ecclesiae *Occidentalis* traditionem consulimus. Hic enim non rara tantum inveniuntur testimonia, pro *Paulinâ* epistolae origine pugnancia; sed multa etiam, quibus ejus authenticia in dubium vocetur; quin adeo quibusvis aliis nominatim tribuatur. Sic TERTULLIANUS jam BARNABAM scriptorem vocat; licet hanc non nisi conjecturam esse significet. Nimirum ipsa illa negativa q. d. traditio aliam positivam ponit, ut adeo quaestio oriatur, undenam hoc inter ambas Ecclesias discrimen sit derivandum? Cum autem dubitationis causa maxime in internâ epistolae indole cernatur, porro quaeritur, undenam illa traditionem inter atque indolem diversitas sit explicanda? Haud levem enim hanc inter ceterasque PAULI

1) Cf. Olshaus., *Op. Theol.* p. 98 sqq. Origenes ipse, licet dubitans, historicae traditioni se opponere noluit, atque ingenue fatetur: τίς ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν τὸ μὲν ἀλλήως ὁ δὲ ἄλλως. *Cf. Theol.* p. 7 sq. Cetera loca probantia cum in quibuscumque fere Isagogis, in primis apud Bleekium, I, accurate inveniantur, hic singulatim recensere supervacaneam putavimus.

epistolas stili atque argumenti esse diversitatem, quis neget? Quam dictionis diversitatem licet in singulis verbis phrasibusque non magni faciamus, universam tamen stili sermonisque structuram animadvertere cogimur, citandique rationem a Paulinâ alienam 1). Accedit, quod PAULUS, licet ad Judacos scriberet, consuetam tamen ipsi dicendi rationem, quâ veram salutem, adhibitâ τοῦ δικαιοῦν denominatione, proponere solebat, omittens, longe aliâ usus sit, nempe τοῦ τελειῶν formulâ, quae unice fere in hac epistolâ occurrit. Quid? quod vocem πίστις quodammodo alio sensu adhibet scriptor Cap. XI, Paulinamque CHRISTI denominationem μεσίτου cum τῶ ἱερέως permutet. Ne dicam Sospitatoris resurrectionem, quae unicum fere doctrinae Paulinae exhibet fundamentum, hîc rarissime attingi.

Contra vero iidem hic observamus tantum cum universâ PAULI doctrinâ consensum, ut cum nullo N. T. scripto ab aliis confecto hoc nomine eum in modum conspirare haec epistola dicenda sit. Equid enim magis PAULI menti convenit, quam tum V. illa atque N. Testamenti, tum τῆς σαρκὸς atque πνεύματος oppositio, uti et quae de CHRISTI personâ atque de eschatologiâ in hac epistola leguntur? Quid? quod in minoribus etiam mira invenitur convenientia 2). Quae si rite perpendamus, sponte ducimur ad suspicionem de necessitudine quâdam, quae PAULUM Apostolum inter atque hujus epistolae scriptorem intercesserit. Quare valde se commendare videtur eorum sententia, qui statuunt, profectam eam esse a quodam PAULI discipulo socioque, magistri mente prorsus imbuto, ipso Apostolo forte adhortante atque auxiliante, saltem non ignorante neque reprobante, si epistola vel suo nomine condecoraretur 3). Quis vero hic discipulus fuerit, certo statuere non

1) Cf. Thol. p. 47 sqq.

2) Origenes jam in hoc scripto Pauli νοήματα reperiebat. Cf. Steinius, l. l. p. 45; Thol. p. 26 sq. 37 sq.

3) Hanc sententiam prae ceteris proposuit argumentisque fulcivit Olsh. l. l.

ausim. Conjectura, quâ APOLLOS scriptor censeatur <sup>1)</sup>, maxime quidem nobis placet; sed, ubi omnia historica argumenta desunt, atque ipse ORIGENES jam a quâcumque affirmatione abstinet, potius rem in medio relinquere lubet. Hac autem assumptâ sententiâ, quendam PATLI discipulum, artissime cum eo junctum ejusque mente imbutum, hanc epistolam scripsisse, facilius est explicatu, quomodo Orientales cum Apostolo potuerint tribuere, Occidentales vero denegare, licet alium ejus scriptorem certo denotare non auserint. Ita etiam intelligimus magnum illud discrimen, quod in utriusque scribendi docendique ratione reperitur, dum in rei summâ egregie conspirant <sup>2)</sup>. Nobis saltem hanc sententiam, nihil de canonicâ egregiæ hujus epistolæ auctoritate detrahentem, maxime arripere lubenter fatemur.

1) Hanc a Luthero jam propositam conjecturam Bleekius atque Tholuckius nostris temporibus probare et commendare cenati sunt. Nam 1. Apollos Judæus erat, Act. XVIII: 24, Ἰουδαῖος δὲ τις Ἀπολλῶν ἐν ἑμάτι, coll. Heb. I: 1. XI: 2 sqq. Lucas igitur, Græcâ cum esset origine, hanc ep. non scripsit. — 2. Apollos discipulus erat Apostolorum, II: 3. — 3. Cum Paulo necessitudine erat conjunctus, 1 Cor. XVI: 12. Tit. III: 13; per Aquilam atque Priscillam Apostoli mente doctrinâque imbutus erat, Act. XVIII: 25, 26; attamen ab eo sejunctus, ipse evangelium annuntiabat, 1 Cor. I-IV. — 4. Cum Corinthi prae ceteris versaretur, ubi multi erant Johannis discipuli, Judæo-Christianis Palaestincisibus non ignotus erat, Heb. XIII: 19; cui accedit quod Judæos imprimis Evangelium annuncians aggrediretur, Act. XVIII: 28. — 5. Fuit Alexandrinus, quod cum sermone totiusque epistolæ indole optime congruit, Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει. Etiam Eichhornius, Seyffarthus, Schottus, alii, licet nomen scriptoris conjicere nolint, ab Alexandrino homine epistolam perfectam esse statuerunt. — 6. In Apollonem plane quadrat sublimis et elegans stili sermonisque facunda dicendi ratio, quippe qui Act. XVIII: 24 sqq. describitur ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ἐν ἐν ταῖς γραφαῖς. Cf. 1 Cor. III: 6. II: 4. 2 Cor. XI: 5, 6.

2) Eadem fere Neander., l. I. ed. 2. p. 671: » Wir finden bei demselben » die Grundzüge der paulinischen Lehre nur in einer eigenthümlichen Gestalt- » tung wieder, die paulinischen Grundideen bei einem Manne von selbst- » ständigem Geiste, der durch seine eigenthümliche Natur, seinen eigenthüm- » lichen Bildungsgang und die Art und Weise, wie sein Uebertritt aus dem » Judenthum in das Christenthum sich entwickelt hatte, von Paulus sich » unterschied,“ u. s. w.



Consuetam inscriptionem huic epistolae praefixam non inveniri, mirum nobis accidere nequit, ubi reputamus, dissertationis eam magis quam epistolae formam prae se ferre, praesertim si admittimus sententiam, quâ statuitur, epistolam quandam commendatitiam ei fuisse additam. Quidquid est, magnam omnino movet dubitationem, quod PAULUS Apostolus, ad *Hebraeos* in primis scribens, nomine suo epistolam non inscripserit; imo vero, apostolicâ auctoritate abnegatâ, se ab Apostolorum numero, II: 3, discrete exclusit. Potius probanda videtur sententia OLSHAUSENI, quae tamen conjectura semper manet, neque pluris est aestimanda, ex quâ facile defendi potest, scriptorem, qui usque ad finem non suo, sed presbyterorum nomine scribens, de suâ personâ non egerat, versus finem epistolae sensim sensimque ad se suaque recidisse, cujus simile quid accidit TERTIO, epistolae ad *Romanos* scribae. Sed jam hisce subsistamus.

### § 3.

#### *De iis ad quos eam miserit scriptor.*

Ad certos quosdam homines scriptam esse nostram epistolam satis superque patet ex additis capite ultimo salutationibus; nam de ejus integritate nemo jure dubitavit. De eo etiam inter omnes fere <sup>1)</sup> convenit, hanc epistolam ad *Christianos* e *Judaeis* oriundos datam esse, quod, ét ipsa jam testatur inscriptio, ét universo ejus argumento disputandique modo probatur. Sed variae sunt interpretum sententiae, ubi quaeris: quinam fuerint illi Christiani e *Judaeis*? Alii nimirum *Christianos Asiae minoris* <sup>2)</sup>, alii *Christianos in Macedonia* <sup>3)</sup>,

1) Ad *Christianos e gentibus oriundos* et ad *Ephesios* quidem datam esse epistolam probare studuit Dr. Røthe, peculiari Diss., Franc. 1836. Contra quem legas Neanderum, I. l. p. 672 sq. in ann.

2) Storrius et Mynsterus, qui *Galatas*, Bengelius et Chr. F. Schmidius, qui *universos Asiae minoris incolae* intelligunt.

3) J. A. Noesseltus, *Opusc.* I. p. 243, Halae 1761.

vel *Achaja* degentes <sup>1)</sup>, *Antiochenos* alii <sup>2)</sup>, alii *Alexandrinos* <sup>3)</sup>, vel *Laodicenses* <sup>4)</sup> intelligunt; quae omnes sententiae idoneis argumentis carere nobis quidem videntur <sup>5)</sup>. Ad *Palaestinenses* illam missam esse multo verosimilius statuitur.

Etenim hoc constat *Hebraeos* fuisse primos ejus lectores. Nemo saltem hanc epistolam intelligere poterit, nisi qui Judaicam religionem, nominatim legem ritualement cognitam habeat; nusquam de gentibus, sed ubivis de patribus, de populo Israëlitico, de *ABRAHAM* posteris fit mentio; id quod *Judaeorum* ecclesiam satis prodit. Facile igitur inde concludimus cum *CLEMENTE Alexandrino*, *EUSEBIO*, *THEODORETO*, *CHRYSOSTOMO*, *HIERONYMO* aliisque, *Palaestinenses*, in primis *Hierosolymitanos* esse intelligendos <sup>6)</sup>.

Eo quoque ducunt nonnulla, quae in ipsâ epistolâ inveniuntur rerum momenta. E numero doctorum et pastorum, quibus usi fuerant lectores, nonnulli jam erant mortui, XIII: 7, quod optime quadrat in *STEPHANUM*, *JACOBUM* ceterosque martyres. Magnâ jam lectores afflicti erant persecutione; ingens malorum certamen sustinuerant; imo nonnulli laboribus contritionibusque obruti, fidele pro *CHRISTO* testimonium suâ constantiâ exhibuerant. Alii ludibria, flagella, vincula et carcerem erant experti, alii omnibus spoliati bonis in fugam se contulerant, X: 32-34. Ejusmodi autem persecutiones ante *NERONEM* nusquam nisi in *Palaeestina* obtinuerunt. Neque ta-

1) C. G. Lorentzius, in Programm. de auctore et lectoribus ep. quae insor. ad Hebr. Altenb., post Pauli mortem *Ephesi* scriptam putat epistolam ad *Judaeo-Christianos Corinthiacos*, dum per τοῦ ἐπὶ τῆς Ἰερ. Aquilam et *Priscillam* intelligit.

2) Böhmius, l. l. 3) J. C. Chr. Schmidtus, l. l. 4) Steinius, l. l.

5) Refutatas eas vide apud Bleekium, l. l. p. 26 sqq.

6) Recepta haec nostris diebus dicenda est sententia, cujus patroni inter alios sunt *Michaëlis*, *Hugius*, *Bartholdtus*, *Bleekius*, *Tholuckius*, *Lombus*. Nonnulli quidem univere omnes *Judaeo-Christianos* intelligunt, voluti jam antiquo tempore *Oecumenius*, et recentiori *J. G. Rosenmullerus*; sed vid. *Crednerum*, l. l. p. 562 sqq.



men adhuc, prouti *Maccabaeorum* tempore, XI: 34-39, usque ad sanguinem certaverant pro CHRISTI nomine, XII: 4. Pauci tantum eorum principes mortem subierant; Christianorum turba mediis in persecutionibus salva manserat.

Haec vero propter maxime erat verendum, ne fidem Evangelio datam desererent; quorsum spectant admonitiones quam plurimae, III: 7—IV: 13. VI: 3, 4 sq. X: 19-32. XII: 25. Accedebat ab unâ quidem parte magnificentia cultûs *Levitici* externi in templo *Hierosolymitano*, ab alterâ vero cultûs Christianorum simplicitas, qui noctis et solitudinis tenebras quaerere cogebantur. — Quodsi porro ad inscriptionem  $\pi\rho\delta\varsigma$   $\epsilon\beta\rho\rho\acute{\iota}\omicron\upsilon\varsigma$  accuratius attendimus, sententiam nostram magis etiam probatam videmus; nam hoc nomine nominatim *Judaei Palaestinienses*, linguâ Aramacâ utentes, significantur eoque distinguuntur a Judaeis Graece loquentibus, qui  $\epsilon\lambda\lambda\eta\nu\iota\sigma\tau\alpha\acute{\iota}$  nuncupabantur, quod patet tum ex Act. VI: 1<sup>1)</sup>, tum ex antiquâ illâ  $\epsilon\delta\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\acute{\iota}\omicron\upsilon\ \kappa\alpha\acute{\iota}$   $\epsilon\beta\rho\rho\acute{\iota}\omicron\upsilon\varsigma$  denominatione, tum vero etiam ex multorum Patrum testimoniis<sup>2)</sup>. Haec enim inscriptio, quamvis ab auctore non sit profecta, antiquissimae tamen est aetatis, et minime rejicienda, praesertim cum nulla alia reperitur: nam quae apud MURATORIUM: AD ALEXANDRINOS legitur, non nisi per conjecturam ad nostram epistolam est applicata<sup>3)</sup>.

Quae vero huic sententiae objiciuntur, facile refutantur<sup>4)</sup>. Etenim ex II: 3 frustra secus sentientes derivant, lectores habitasse in regione, ubi ipse JESUS non docuerit, cum non nisi hoc exinde derivari possit, eos JESU personam non cognovisse, quippe qui seriore demum viverent aetate. Deinde nullum satis firmum argumentum quaeritur in VI: 10 et XIII: 16; quidni enim Judaei *Hierosolymitani*, licet paupe-

1) Vid. omnino Hugius, *Einl.* II. 30-56, et Theol. p. 71 sqq.

2) a Bleekio citatis, p. 34. 3) Cf. Bleekius, p. 43 sqq.

4) Praecipua argumenta attulerunt Eichhornius, Storrius, Böhmius, Wettius, et Steinius.

res, laudari possent a beneficiâ, atque admoneri, ut suae ecclesiae sociis, (de pecuniâ ad extraneos missâ aut mittendâ nihil legimus) pro suis facultatibus, auxilium ferrent. Quod tandem, ut alias minoris momenti objectiones silentio praetereamus, attinet ad argumentum ex eo petatum, quod prima hujus epistolae vestigia non in *Palaestina*, sed alibi inveniuntur, hoc satis explicari videtur tum ex singulari ejus indole, tum e dubiis, de ejus scriptore jam antiquissimo tempore ortis. Quae si omnia reputemus, verisimillimum est intelligendos esse Judaeo-Christianos *Palaestinos*, ad quos data sit haec epistola, quemadmodum vulgaris eaque satis antiqua sententia fert. — Sed cum hac arctissime conjuncta est altera quaestio de sermone, quo scripta sit epistola; quâ de re nunc agamus.

## § 4.

*De sermone, quo scripta sit epistola.*

Primo obtutu parum probabile videtur, scriptorem, si Christianis Palaestinensibus suam epistolam miserit, *Graeco* sermone usum fuisse, cum cives *Hierosolymitani* linguam patriam, *Syrochaldaicam*, unice amarent (Act. XXII: 2). Quocirca non mirandum est, quod multi omni tempore statuerint, eam Hebraice esse confectam, uti *CLEMENS Alexandrinus* affirmat <sup>1)</sup>, et a *LUCA* in Graecum sermonem conversam. *ORIGENES* <sup>2)</sup> quidem Graece eam exaratam dicit; sed *CLEMENTEM* aut *LUCAM*, nomine Apostoli, scripsisse eam atque elaborasse censet. Hebraicae originis patroni etiam sunt *EUSEBIUS* <sup>3)</sup>, *HIERONYMUS* <sup>4)</sup>, *THEODORETUS* <sup>5)</sup>, *EUTHALIUS*, alii, idque quidem tum ob stili diversitatem, tum ob lectores, ad quos missa fuit. At instauratae Ecclesiae diebus haec sententia rejecta est a *CAJETANO*, *ERASMO* et *CALMETO*, uti et, *CALVINO* et *FLACIO* ducibus,

1) Apud Euseb. II. E. VI. 14.

2) VI. 26.

3) III. 38.

4) In *Catalogo* v. Paulus.5) *Praef.* in ep. ad Hebr.

a plerisque Protestantium interpretibus. Exiguus vero eorum erat numerus, in quo HYPERIUS, ZANCHIUS, TOSSANUS, SALMASIUS, JOH. HALLETUS, SAL TILLIUS et MICHAËLIS, qui pro Hebraeo sermone suffragium ferrent. E recentioribus autem 1) nullus fere est, qui hujus sententiae, cui gravissimae rationes obstant, defensionem sustineat.

Contra validissimis muniuntur argumentis, qui Graeco confectam esse epistolam defendunt. Nam *primum* ipsa ejus dictio et stilus id ostendit. Stilus interpretis esse solet adstrictus; hic autem est laxior et eleganter fluens, quae elegantia et dictionis copia ab Hebraeorum dicendi ratione multum recedit. 2). *Deinde* Graecam linguam probant paronomasiae crebrius in hac epistolâ occurrentes, veluti II: 8. V: 8, 14 cet. 3). *Tertio* occurrunt voces Graecae, quae in textu Hebraico periphrastice duntaxat exprimi possunt, v. πολυμερῶς cet. 4). Argumentum vero ex duplici usu vocis διαθήκη, X: 15 sq., non premendum videtur, quum etiam in Aramaeâ dialecto כְּרִית dupliciter accipi potest 5). Eo autem firmiter est *quartum* argumentum, petiitum ex perpetuâ *Versionis Alexandrinae* laudatione; nam si unicum locum X: 30 (coll. Deut. XXXII: 35) excipias, omnes scripturae loci citantur secundum versionem LXX, etsi ab Hebraico textu interdum discrepantem. Sic in primis X: 5-7 (Ps. XL: 7, 8), II: 6-8 (Ps. VIII: 5-7), ubi ex ipsis verbis diversis scriptor argumenta confecerit 6). Idem observare licet, ubi scriptor alludit ad V. T. verba, quâ in re illam versionem ejus menti observatam fuisse, luce clarius patet 7).

Quae si ita sint, jure tamen quaeritur, quare Graeca epi-

1) Cf. Crednerus l. l. p. 534. 2) V. Bleekius, p. 13 sqq. 3) Cf. Semleri *Diss. phil.-theol., qua Paulum graeco epistolam ad Hebr. exarasse probatur*, Hal. 1761; Crednerus, p. 536, et Bl. p. 15. 4) Exempla attulerunt Crednerus, l. l., et Thol., p. 74. 5) Cf. Braunius, *Comm.* p. 23; Bleekins et Thol. 6) Hugius, l. l. p. 458 sqq., et Bleek., p. 18 sq. 7) Argumenta vid. apud Credn., p. 536, et Bl. 20 sq.



stola data sit ad Christianos Palaestinenses. Ad quam quaestionem solvendam minime sufficit conjectura, quâ scriptor linguam *Aramaeam* minus calluisse opinaris 1): nam nullis ea opinio satis idoneis argumentis nititur. Multo probabilior est solutio, quâ hoc propterea factum esse statuitur, quod Graeca lingua id temporis trita esset in regione Judaicâ, ut adeo Hebraicae linguae usu scriptori minime opus esset: imo vero hanc ita probatam videmus sententiam a PAULO et PUGIO, ut nulla dubitandi causa relicta videatur 2). Ipse JACOBUS, origine et indole *Judaeus*, *Graeco* sermone usus est, ne dicamus Versionem Graecam prae ceteris in usu fuisse apud Judaeos. Ubi autem de PAULO, Act. XXI: 40, legimus, eum *Hebraeo* coram *Hebraeis* sermone locutum esse, eum contra consuetudinem id fecisse constat. Quid mirum hanc etiam epistolam *Graeco* esse confectam, quae sine interprete ab Hebraeis intelligi posset? Cur amplecteremur oppositam sententiam, tam exiguis argumentis munitam?

### § 5.

#### *De ejus consilio, argumento et pretio.*

Scriptori in epistolâ conscribendâ propositum hoc fuit, ut Christianos, ex Judaicâ gente oriundos, ad Christianam confessionem constanter et inconcussâ fide servandam adhortaretur; quam ob rem ipse admonitionis sermonem, *λόγον τῆς παρακλήσεως* (XIII: 22) eam dicit. Ab initio quidem coelestem atque salutarem Evangelii annuntiationem summo amore amplexi fuerant (X: 32 sqq.); sed hic amoris ignis, hic fidei ardor sensim sensimque evanuerat atque languerat (V: 12. XII: 12, 13). Redibat pristinae religionis amor, qui non parum fovebatur illustri ceremoniarum, quem continue in

1) De quâ sententiâ cf. Bleek., p. 38. 2) Vid. omnino Hugius, II. l. l. Cf. Thol. p. 76 sqq.

templo *Hierosolymitano* adspiciebant, apparatu, quo simplex sublimisque Evangelii cultus prorsus carebat. Maxime igitur erat verendum, ne Christianam religionem Judaicae duntaxat supplementum haberent, CHRISTUM ceteris Prophetis aequiparando, imo vero most inferiorem ducendo, atque ita a religione Christianâ desciscerent. Labefactâ autem fide, pristinorum sociorum petitionibus atque objectionibus facile arripi poterant, aut ignominiae persecutionumque metu seduci, ita ut suam abjicerent fiduciam, et quae antea Evangelii causâ sustinuerant obliviscerentur. Imo vero si paulo ulterius procederent, necesse erat ut ad pristina sacra redirent: quod gravissimum periculum, si fieri posset, avertere sibi proposuerat scriptor, II: 1-4. III: 1, 7, 14. IV: 1, 11-16. V: 11. VI: 20. X: 22-39. XII: 1-4, 12-15, 25. XIII: 9.

Cum legis, quam per MOSEM et Angelos acceperant, praestantiam prae omnibus eveherent, et Christianae religioni opprobrio ducerent, eam ab homine ignominioso et cruci affixo oriundam esse; cum religionem parvi haberent, quae templo, summo Sacerdote, atque sacrificio, peccantibus prae ceteris grato, piaculari careret; cum denique quererentur de splendoris absentia, uti et expiationis festi, omniumque, quae in cultu Mosaico magno essent solatio, tacere haec noluit scriptor, summo Evangelii amore ductus; sed objectionibus, quae magno rei Christianae detrimento esse possent, respondere sibi proposuit.

Ad lectorum igitur animos labefactatos erigendos et confirmandos, comparationem instituit inter religionem *Mosaicam* et *Christianam*, ut, expositâ hujus prae illâ praestantiâ, lectoribus elucescat, nullam causam esse, cur de accepto Evangelio quererentur, contra vero hujus confessionem, ceteris omnibus omissis, firmiter esse tenendam. Etenim hanc si desererent, cum *Mosaicus* cultus ad interitum vergeret, quid aliud erat, quam ipsum Deum viventem deserere?

Ac primo quidem vivis coloribus depingit JESU *Messiae*,

religionis Christianae auctoris, summam aeternamque majestatem, tamquam Dei filii, per quem mundus creatus erat, aeternamque ejus excellentiam prae Angelis evehit. Quanto autem praestantior CHRISTUS est Angelis, tanto praestantior lex nova est veteri, et si defectio a lege per Angelos lata atrox erat scelus, quanto majus erit Christiani hominis a fide CHRISTO habitâ defectio? Quod vero ad humilem ejus conditionem humanaeque naturae assumptionem attinet, hoc factum erat, ut misericors hominum Sacerdos evaderet. C. I et II. Prae MOSE etiam, legislationis *Sinaiticae* mediatore, quantum excellabat CHRISTUS, tantum praefendum est Evangelium cultui *Mosaico*; unde patet apostasian a fide Christianâ summum esse peccatum. C. III-IV: 13. Deinde ad Sacerdotii munus procedens scriptor demonstrat, CHRISTUM summum aeternumque Sacerdotem a Deo ipso esse constitutum, eumque cum Sacerdotibus Judaicis ita comparat, ut simul doceat, qualis quantusque sit habendus, et quam longe illis praestet. C. V, VI. Etenim summus Sacerdos est creatus, non ex *Aaronicâ* gente, sed ad rationem et dignitatem MELCHIZEDEGI, qui ABRAHAMUM omnesque ejus posteros, AARONEM et Sacerdotes *Leviticos* excellentiâ superabat, quocirca de hujus personâ, historiâ, sacerdotio ac praestantiâ copiose agit C. VII. Quam praestans autem CHRISTUS habendus est, qui et prae MELCHIZEDECO, unus ac solus Sacerdos, in aeternum vivat, qui non cum animalium, sed suo ipsius fuso sanguine coelum sit ingressus, ad peccata coram Deo tegenda, qui denique non quotannis, veluti terrestri Pontifex, sed semel tantum sacrificio oblato, apud Deum intercederet, adeoque efficeret, quod omnes hostiae praestare non potuissent, ut hominum animi tranquillarentur et bearentur. Nimirum ejus sacrificium omnia cetera supervacanea reddidit, eoque inauguratus est novus rerum ordo novumque foedus. Quae antiquitus obtinebant sacra, si cum N. T., in quo ἀπόδος εἰκὼν τῶν πραγμάτων reperiebatur, veritate comparentur, merae umbrae atque imagines (X: 1)



censenda erant, cum N. Foederis aeterna bonorum spirituum majestate minime equiparanda. Haec autem omnia ita exponit scriptor, ut simul addat gravissimas easque salutiferas adhortationes, ne egregium adeo sublimeque Evangelium lectores parvi penderent. Quantum enim praestat christus summus Pontifex AÄRONI pontifici, tantum Evangelium legi praefereendum. C. VIII-X: 19.

Absoluta theoretica epistolae parte, altera pars magis paraenetica additur, quae, quamquam interdum etiam V. et N. T. comparatio instituitur (XII: 19-24. XIII: 10-12), tota in monendo, consolando, confirmandoque versatur. Scilicet qui hanc praestantiorum oeconomiam rejicit, eo gravioribus poenis erit afficiendus. Quocirca graviter cohortatur lectores ad fidem, qua sola constanter in Evangelio profitendo versari possent. Ad quam mediis in afflictionibus firmiter servandam longa patriarcharum et justorum series, prae omnibus vero summum JESU exemplum eos magis etiam incitare debebat (XI-XII: 12): quippe qui venissent ad meliorem *Hierosolymam* et N. F. mediatorem, haberentque aliud sacrificandi altare, aliud sacrificium, in ipsa christi, qui extra urbem, veluti antiquitus sacrificium piaculare extra castra comburebatur, mortem subierat, persona.

Quando autem quove loco haec epistola scripta sit vix accurate definit. Probabilior videtur eorum sententia, qui putent eam scriptam esse in *Asia minori*, fortasse *Ephesi*, aut *Corinthi*. Ubi enim alii provocant ad XIII: 24, ut *Italiam* significant, quia per τοὺς ἐπὶ τῆς Ἰταλίας recte intelliguntur Christiani ex *Italia* profugi ibique degentes, frustra hoc faciunt 1). Ex ipsa autem epistola, VIII: 4 sq., IX: 6 sq., XIII: 10 sqq., patere videtur, ante templi *Hierosolymitani* eversionem, florente adhuc cultu *Levitico* ejusque sacrificandi ritu, IX: 8, hanc epistolam esse elaboratam. Ab altera vero

1) Cf. Thol. ad XIII: 24.

parte ex ipsâ itidem epistolâ apparet, jam diu Evangelium amplexos fuisse, V: 12, multaque ob illud perpressos lectores, X: 32-34, quorum complures doctores jam erant mortui, XIII: 7. Vere etiam observatur, scriptorem disputare de abrogatione sacerdotii et sacrificiorum veteris legis; quod non admodum opus fuisset, urbe jam eversâ et templo destructo, extra quod nefas erat Judaeis sacrificare <sup>1)</sup>. Quae omnia perpendentes BLEEKIO potissimum assentimur, statuenti hanc epistolam tempore, quod interfuit inter NERONIS persecutionem et bella Judaica, adeoque anno 65-67 post C. n., exaratam esse <sup>2)</sup>.

Expositum epistolae argumentum, quo praecipua Evangelii capita continentur, si consideremus, summa scripti praestantia jam in oculos incurrit. At eo gravior existit quaestio, quatenus *canonica* auctoritas epistolae sit adscribenda, si saltem non a PAULO profecta censenda sit, quod licet, quippe ejus argumentum tantum referre cupientes, silentio praeterire possemus, nonnullas tamen observationes hac de re addere lubet.

Simulac constaret, eam a PAULO profectam esse, sine dubio ad N. T. *canonem* referenda esset, cujus notio ex antiquae Ecclesiae sententiâ postulat, ut scripta ei inserta, tamquam certae regulae fidei et vitae Christianae, reverâ sint Apostolicae originis, vel saltem ab Apostolo comprobata. Etenim Apostoli, qui immediatâ JESU communionibus, gravissimo in Ecclesiâ munere fungebantur, summâ Spiritûs sancti donorum copiâ gaudebant, ex ipsius Domini promissionibus. Quo longius vero Ecclesiae doctores a CHRISTI personâ erant remoti, quoque levius eorum munus, eo minore plenitudine Spiritûs donabantur, eoque facilius alieni quid ipsorum laboribus ines-

1) Sic Joh. Gerhardus, *prolegg.* in ep. p. 16 sq.; cujus verba vid. alata a Bleekio, p. 434. 2) P. 435 sq.



se poterat. Unde factum est, ut qui de *Paulinâ* hujus epistolae origine dubitarent, eam a proprie sic dictis Canonicis scriptis, Deuterocanonici nomine, quo authentici secundi ordinis libri insigniri solent, distinguerent<sup>1)</sup>. Quod vero hanc ad *Hebraeos* epistolam attinet, ei *canonicam* auctoritatem esse tribuendam nobis quidem persuasum est.

*Primum* enim negari nequit, in aliis etiam, quam 12 Apostolis Spiritum sanctum efficacem se praestitisse (Act. VI: 5. VIII: 14-17. X: 45, 47. XIX: 6). *Paulus* ipse, 1 Cor. XII: 4-11, plura recenset charismata divinique Spiritûs operationes; quid? quod de *BARNABA*, *SILA* et *TIMOTHEO* diserte illud traditur (Act. XI: 24. XV: 32. 2 Tim. I: 6). Ecclesia *CHRISTI* quum per diversa organa a Spiritu sancto impleretur vitâ coelesti, hac in primis gavisî censendi sunt, qui artissimo vinculo cum Apostolis essent conjuncti, eorumque mente penitus imbuti. Idem populum docendi Evangeliumque annunciandi munus et officium iis fuit demandatum. Sanctum purae doctrinae depositum, per Spiritum sanctum, qui iis inerat, servarunt, cum longe prae ceteris Christianis in Ecclesiâ excellere<sup>2)</sup>.

Accedit *secundo*, sanctum Ecclesiae veluti sensum quemdam<sup>3)</sup>, ut ita dicam, esse adscribendum in Canone constituendo<sup>4)</sup>. Etenim ipsam Ecclesiam per *CHRISTI* Spiritum ita inspiratam credimus, ut, licet de alicujus scripti auctore minus vere censuerit, rite tamen statuisset de auctoritate, variis scriptis tribuendâ, censenda sit. Haec autem copiosius exponere non hujus est loci<sup>5)</sup>.

1) De variâ auctoritate variis temporibus huic epistolae adscriptâ cf. *Bleekius* p. 437 sqq., qui ipse eam libris N. T. canonicis non annumerat, p. 476.

2) Haec eximie exposuit *Twistenus*, l. l. I. p. 398 sqq., in primis p. 403. Pulebras etiam hac de re apud *Thol.*, p. 93-98 legas observationes.

3) *Thol.* p. 101 dicit: » die im Gefühl ruhende aber nicht ins Bewusstseyu » tretende Regel. » 4) Cf. *Thol.* p. 82-85.

5) Cf. omnino *Twistenus*, l. l. in Cap. de *Canone*, § 29, p. 429-441.

Omne denique de hujus epistolae pretio et auctoritate tollitur dubium, si Apostolicam comprobationem ei vindicare possumus; nam lubenter fatemur specificum q. d. intercedere discrimen inter Apostolos ceterosque Christianos. Constat enim singulari Spiritus s. auxilio eos fuisse adjutos; de eorum vero discipulis hoc universe affirmare non ausirim<sup>1)</sup>. Quam ob causam MARCI et LUCAE scripta ad *Canonem* jure referuntur, quippe ab Apostolis comprobata. Quod licet de hac epistolâ certo statui non possit, e traditione tamen historicâ, quae originem epistolae PAULO tribuit, quacque in *Oriente* vulgata fuit, patet, scriptorem inter et Apostolum intimam familiaritatem intercessisse. Hoc autem eo majorem habet vim, quandoquidem ex ipsius epistolae indole haec traditio nullo modo originem trahere potuit, cum scribendi genus a stilo PAULI valde abhorreat. Ab alterâ vero parte ex argumenti cum PAULI doctrinâ convenientiâ tuto efficitur, magnam in eâ conscribendâ vim habuisse Apostolum. Ecquid magis, dummodo lectores *Judaeo-Christianos* intelligamus, PAULI mentem spirat, quam V. T. proponere tamquam *σικὴν τῶν μελλόντων*, melioris illius *διαθήκης*, quae JESU sanguine fuit sancita? Hoc vero non ipsum Apostolum scribere voluisse Judaeis quis miretur, qui minus familiarem, quae iis cum ipso intercederet, consuetudinem secum reputet? Quae quum ita sint, haud minus quam opus MARCI et LUCAE, haec quoque epistola auctoritate *canonicâ* gaudet; imo vero majore etiam jure ad *Canonem* refertur scriptum, quod non ignorante aut reprobante PAULO fuit confectum, quodque hujus mentem in rei summâ prorsus exprimere est dicendum<sup>2)</sup>.

His breviter de epistolâ universe praemonitis, ipsam ag-

1) Thol., l. I, p. 95 sqq.

2) V. Olsh., l. I. p. 116-122. Cf. Ejus *Aanwijzing van de echtheid der gezam. Schriften des N. Y.* p. 137-143 vers. Belg., Rot. 1838.

gredimur argumenti tractationem. De quo ut viâ et ratione agamus, *bipartita* erit nostra disputatio, ita ut in priore quidem parte scriptoris sententiam de *Veteri Testamento*, in alterâ vero ejusdem sententiam de *Novo Testamento* simus exposituri.



## PARS I.

### SCRIPTORIS SENTENTIA DE VETERI TESTAMENTO.

---

Scriptoris sententiam de V. T. indagaturi, ab iis ordiendum esse existimamus, quae in hac epistolâ de V. T. *vaticiniis* ab eo in medium prolata sunt. Deinceps de *rebus historicis* et totâ *institutione theocraticâ*, ex ipsius mente, separatim nobis agendum erit.

### CAPUT I.

#### QUA RATIONE V. T. VATICINIA CITET.

A vaticiniis, in hac epistolâ laudatis, initium facimus, quippe quae statim lectorum oculos multitudine suâ ac gravitate ad se trahant. De hisce vero apud interpretes magnus cernitur dissensus. Ne vero in vasto hoc campo temere dispatiemur, hunc ordinem sequemur, quo *primum* videamus quâ ratione V. T. locos citet scriptor, *cum* quoad materiam, *tum* quoad formam; *deinde*, quomodo ex hac disquisitione scriptoris de V. T. sententia effici possit, quidque de ejus interpretandi ratione verosimiliter sit statuendum, exponamus.

#### § 1.

##### *Qua ratione V. T. locos citet.*

I. Quod ad *materiam*, in tres classes loci a scriptore laudati dividi possunt: nempe in vaticinia proprie sic dicta, in locos typice explicandos, denique in ejusmodi dicta, quae

citata proprie dici non possunt, quippe quae suo tantum sermone inseruerit scriptor. Quod tamen non ita acceptum volumus, ac si ad singulas hasce classes singuli loci certo ubivis referri posse statuere videamur, aut contendere, nostrum scriptorem hujus distinctionis sibi semper conscium fuisse. Minime vero; sed nobismet ipsis tantum hunc usum illa praestet divisio, ut cuncti in hac epistolâ laudati loci faciliori complexu indagare ac secum invicem comparare possimus.

A. Ad vaticinia proprie sic dicta, *Messiam* spectantia, prae ceteris cum THOLUCKIO <sup>1)</sup> referimus Psalmum II. CX. 2 Sam. VII: 14 (quae C. I), Jer. XXXI: 31-34 (quae C. VIII et X), et Hagg. II: 6 (quod C. XII: 26 laudatur). Psalmum XLV hisce esse accensendum ideo putamus, quod scriptoris aequales ad unum fere omnes sub regis descriptione *Messiam* latere putarunt <sup>2)</sup>. Quidquid autem hujus rei est, ad nostram disquisitionem minime pertinet quaestio, utrum omnes hi loci revera *Messiani* sint dicendi, necne. De hisce off. Viri docti, qui hac in re datâ operâ laborarunt <sup>3)</sup>. Nostri tantum est scriptoris de hisce locis sententiam eruere; de quâ dubii haerere non possumus, reputantes 1. hos locos eo vivente communi fere suffragio ad *Messiam* esse relatos <sup>4)</sup>; 2. ex ipsius sententiâ aliam significationem illis tribui non potuisse; 3. citandi formam hoc satis superque arguere, de quâ infra plura dicemus.

1) In *Ejus additamentis* ad hujus epistolae *Comment.*, scorsim editis sub titulo: *Das Alte Testament im neuen Testament*, Hamb. 1836, p. 9-12. Cui operi multa nos hac in disquisitione debere grato animo profitemur; quodque deinceps sub ejus titulo: *Beilagen*, saepius citaturi sumus.

2) Off. Rosenmüllerus, in *Comm.* ad h. Ps., ed. 2; et Hengst., in opere mox laudando, I. 1, p. 96 sq.

3) Prae ceteris hic in censum veniunt Hengstenberg, *Christologie des A. T.*, III T., Ber. 1829-1835; et K. H. Sack, *Christl. Apologetik*.

4) Cf. prae ceteris Hengst., l. l. I. 1, p. 96 sq., 111 sq., 140 sq.; et ex antiquioribus Schöttgen., *de Messia*.

B. Multos tamen locos in hac epistolâ laudatos invenimus, qui non nisi contorte ad *Messiam* trahi videantur, quique primo et litterali sensu ne a scriptore quidem, de ipsius mente sic explicari possint. Ne igitur absurdam prorsus opinionem temere ei obtrudamus, accuratius hi loci recensendi sunt: in quibus annumerandi erunt Ps. XXII: 23 (c. II: 12). Ps. VIII: 5-7 (c. II: 6-8). Ps. XL: 7-9 (c. X: 5-7), et Jes. VIII: 17, 18 (c. II: 13); fortasse etiam Ps. XCVII: 7 (c. I: 6) <sup>1)</sup>, et Ps. CII: 26-28 (c. I: 10-12). Qui loci procul dubio a scriptore ad *Messiam* accommodantur; ita ut quaestio oriatur, utrum convenientiam, quam inter laudatos locos ac *Messiam* cernat, arbitrarie suum in usum convertat, an vero Deo auctori hoc tribuens, in re ipsâ positam illam censeat? Posterius esse affirmandum mox pluribus probare conabimur. Hic singulos locos recensuisse atque ad suas classes redegissee sufficiat.

C. Nonnulla addenda sunt de *tertiâ*, quam recensuimus, classe; ad quam ii loci sunt referendi, quos suo sermone tantummodo inseruit scriptor, citandi formulâ vel additâ, vel omissâ: quibus tamen omnis probandi vis, e scriptoris mente, minime est deneganda. Quodammodo his accenseri potest locus, (jam in *secundâ* classe memoratus), qui invenitur c. II: 6-9, ubi Ps. VIII: 5-7 laudantur; ad quem locum cf. omnino CALVINUS <sup>2)</sup>, qui: „Respondeo,” inquit, „non fuisse propositum Apostolo, genuinam verborum expositionem referre. Nihil enim est incommodi, si allusiones „in verbis quaerat ad ornandam praesentem causam; quem „admodum PAULUS, quum Rom. X: 6 testimonium citat ex „MOSE: Quis ascendat in coelum etc., statim non interpreta-

1) Scriptorem h. l. Deut. XXXII: 43 respexisse, multi quidem interpretes putant. Verosimilius tamen in animo habuit non nisi testimonium, e Psalmo XCVII ductum, licet memoriter Vers. Alex. excitans prioris loci verba expresserit, quâ in re assentientem nobis habemus V. cl. Abreschium, ad h. l. Cf. Tho. l. in *Comm.* ad h. l.

2) In *Comm.* ad h. l.



tionem, sed exornationem attexit de coelo et inferis." — Porro huc pertinent Num. XII: 7 (c. III: 2). Hab. II: 3 (c. X: 37, 38). Deut. XXIX: 18 (c. XII: 15), et Ps. CXVIII: 6 (c. XIII: 6). Haec citandi ratio apud *Rabbinos* quoque, et antiquiores *Patres ecclesiae* in usu erat <sup>1)</sup>; unde mirandum non est, nostrum quoque scriptorem hunc morem secutum fuisse.

II. Si porro ad *formam*, quā V. T. vaticinia citare solet scriptor, attendimus, statim in oculos nobis incurrit, secundum *Versionem Alexandrinam* ea ab ipso laudari.

A. Tam constans hujus Versionis apud eum est usus, ut non facile apud alium N. T. scriptorem simile quid reperias <sup>2)</sup>. Ne longioribus quidem locis exceptis, iisdem usus est verbis, quae occurrunt apud *Alexandrinus*. Quid? quod tam presse illos sequitur, ut c. X: 5 cum illis recipiat versionem *σῶμα*, ubi in *Codice Hebraeo* legitur *אֲנִים* <sup>3)</sup>. In paucissimis tantum locis, idque non nisi in verbis minutissimis, ab hac Versione recedit. Nonnulli in servili hacce imitandi ratione, causam quaerere volunt, cur Hebr. *אֲנִים* per vocem *ἀγγέλοι* ab ipso vertatur; at nihil impedire videtur, quominus vox laudata in Psalmo VIII (c. II: 7) sic verti possit. Majore jure provocare videntur ad XI: 21, ubi scriptor cum LXX legit: *καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἕκρον τῆς βίβδου αὐτοῦ*, quum Gen. XLVII: 31 haec inveniantur

1) Exempla *Rabbinorum* citat Döpke, *Neutest. Hermeneutik*, I. p. 157; apud ipsos vero N. T. scriptores eandem citandi consuetudinem inveniri, alatis locis, satis probavit Tholuckius, *Beil.* p. 27-29.

2) Cf. I: 5-13. II: 13. V: 6, alia. Agnoscunt perpetuum hunc scriptoris morem Grotius, Carpzovius, Hottingerus, Eichhornius, Henkius, in *Diss. de usu LXX interpretum in N. T.*, c. II, 1775; et T. A. Seyffarth, *de epistolae, quae dicitur ad Hebraeos, indole maxime peculiarari*, Lips. 1821, p. 127. Nullus tamen interpretum accuratius hos locos recenset, quam Bleekius, in *Comm.* I. p. 257 sqq.

3) Variæ h. l. interpretationes vidd. apud Thol. ad h. l.

וַיִּשְׁתַּחֲוֶה יִשְׂרָאֵל עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה — Ejusmodi imitationem deprehendimus XIII: 15, ubi ex Hos. XIV: 3 cum *Alexandrinis* pro פְּרִים legisse videtur פְּרִי; quam tamen versionem, quoad sensum, eodem redire, recte monet Tholuckius ad h. l.

Hæc ejus agendi ratio in iis etiam locis cernitur, qui e memoriâ ab ipso laudati videntur; e. c. I: 7 et II: 12, 13: quos *Versioni Alexandrinae* magis quam *Codici Hebraeo* respondere nemo infitias ire potest. Cujus rei prae ceteris IX: 20 exemplum nobis sit, ubi Ex. XXIV: 8 allatum invenimus. Unicus locus, quo hunc laudandi morem non secutus est, exstat X: 30. Quem, plane convenientem cum Rom. XII: 19, ad Paulinam mentem esse referendum, recte observasse videtur Tholuckius <sup>1)</sup>.

B. Praeterea libera observanda est ratio, quâ in citandis V. T. oraculis versatur scriptor, Spiritum, non litteram curans. Quae causa esse videtur, quare saepius neque ipsum textum *Hebr.*, neque *Vers. Alexandrinam* sequatur. Quam quidem observationem in primis confirmant citandi formulae, quibus usus est; modo vocabulo λέγει, prouti I: 6, modo πάλιν, prouti I: 6. II: 12, 13, citationi suae praemisso. Alibi διεμαρτύρατο δέ, inquit, που τις, λέγων II: 6. Plurimumque Deo vel Spiritui sancto quae laudat oracula tribuit, e. g. II: 12. Raro nomen auctoris de industriâ memorat, prouti IV: 7. Liberrime hac in re versatur; modo in *Sacro Codice* legantur verba, quis ea scripto mandaverit, non anxie quaerens. Inde etiam explicanda ejus consuetudo videtur, quam plurimos locos in unum congerendi; cuius rei luculentissimum exemplum offert primum hujus epistolae caput (s. 5-13).

Libera illa citandi ratio ex iis etiam locis elucescit, ubi plura V. T. refert verba, quam scribendi propositum requirat.

1) Vid. Introitus in ejus *Comm.* ed. 2, p. 46 sq.

Cf. e. g. VIII: 8-12, quo loco non minus quam 5 sectiones e Jer. XXXI ad verbum laudat, ad unam novi Foederis notionem comprobendam. Idem usu venit II: 6-8, et X: 16, 17.

§ 2.

Quid de V. T. vaticiniis censeat?

Brevi hac locorum in nostrâ epistolâ citatorum recensione praemissâ, viam nobis paravimus ad scriptoris de iis sententiam exponendam et vindicandam. Agedum, in ejus mentem, quoad ejus fieri possit, nos insinuemus, ejusque cogitandi rationem ex ipsâ epistolâ primum eruamus. Quo facto facilior nobis erit disquisitio, num arbitraria V. T. accommodatio ex ipsius sensu ei sit adscribenda.

I. In V. T. vaticiniis laudandis quid secum cogitaverit scriptor quum quaerimus, duae in primis, quae lucem afferre possint, tenendae sunt observationes: *ultera*, Deum ubivis in V. T. loquentem de ipsius mente induci; *altera*, scriptorem Spiritum, non litteram curasse. De utrâque singulâ videamus.

A. Prouti jam verbo indicavimus, omnia ad Deum refert scriptor. V. T. vaticinia non ut ipsorum scriptorum atque adeo non ut hominum verba, sed ut Dei, vel Spiritûs sancti praesignificationes considerat laudatque; unum tantum locum si excipis, scil. II: 6. Ad quod probandum non ad eos, quibus in V. T. Deus ipse loquens inducitur, locos provocamus; sed considerata volumus illa dicta, ubi de summo Numine in tertiâ personâ mentio injicitur, e. c. I: 6, 7, 8. IV: 7. VII: 21. X: 30; quos omnes locos Deo vaticinanti ex mente scriptoris esse tribuendos, ponere jubet contexta ratio. Idem fere denotat frequens illa citandi formula: λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἕγιον, III: 7. X: 15. Unde satis superque apparet, dicendi formulam ὁ θεός, in iis etiam locis, ubi



omittitur, cogitatione esse supplendam, e. c. I: 5, 13. IV: 3. V: 5, 6. VI: 13. VII: 17. VIII: 8. XII: 26. XIII: 5. Quod plerumque locorum contextu comprobatur, quippe qui non γράφειν, sed θεῶν intelligendum esse doceat <sup>1)</sup>.

Quae cum ita sint, luce clarius apparet, ex mente scriptoris non nimis anxie esse distinguendum Codicem sacrum inter et Verbum Dei. Totum V. Testamentum, universe Spiritus sancti habuit opus. Multifarie multisque modis Deus olim patribus locutus erat in <sup>2)</sup> Prophetis (I: 1). Ipsi scriptores coram ejus oculis veluti evanescabant, atque in unum coalescebant; nam unus idemque Deus ac Spiritus per illos locutus erat. Idem ille Deus extremis, quibus scriptor vivebat, temporibus, N. T. diebus, iterum locutus est in Filio. Cujus consequens est, unam duntaxat eum agnovisse patefactionem divinam, inchoatam illam in libro *Geneseos* et usque ad *Malachiam* tendentem. Ubique idem illud Πνεῦμα, de extremis his diebus testimonium edens, observat (X: 15). Num igitur clariore ratione suam de V. T. sententiam nobiscum communicare potuisset scriptor, quam his formulis adhibendis?

B. Ad quod confirmandum egregie nobis valere videtur altera, quam proposuimus, observatio, scriptoris non litteram, sed spiritum curandi consuetudinem spectans. Cujus rei exempla jam supra laudavimus, ubi de liberâ ejus citandi ratione exposuimus. V. T. vaticinia ad verbum reddere non studet <sup>3)</sup>. Versionem *Alexandrinam*, minime textum *Ar-*

1) Cf. Thol. in *Comm.* p. 47 sqq.; in primis autem Bleekius, l. I. I, p. 375 sqq.

2) De vi vocis θεῶν eff. interpretes. Beza: » Sed magna, » inquit, » vis est » Hebraismi, quo significatur, deum quasi prophetis ipsis insidentem et » animum et linguam eorum allatâ quodam peculiari fuisse moderatum, ut » explicatur 2 Petr. I: 21; » cui assentit Bleekius ad h. l.

3) Calvinus ad X: 6 haec monet: » Neque enim in verbis recitandis » adeo religiosi fuerunt (Apostoli), modo ne scriptura in suum commodum » falso abuterentur. Semper hoc spectandum est, quorsum citent testimonia:

*chetypum* sequitur. Quid? quod et hanc Versionem saepius negligit, suisque verbis, modo sensus maneat intactus, oracula referre non reformidat. Quo modo hoc auscrit *Judaeus*, non facile perspicimus, nisi liberiores secutum eum fuisse de V. T. sententiam sumamus. Hanc vero nostri scriptoris fuisse, tota epistola docet. Non litteras istas scriptas, sed Spiritus in primis testimonium (III: 7. IX: 8. X: 15) curat. Ejus adeo cogitandi ratio toto coelo a *Rabbinorum*, litteris et punctis inhaerentium, nugis erat diversa <sup>1)</sup>. Etenim verba, quae Deus locutus fuit per Prophetas, ei *πνεῦμα καὶ ἔσθ* erant, Spiritusque V. T. de ipsius sensu Ipse CHRISTUS erat. Extremum seculum, *יָמֵי אֲדָרָת* illi erant, quos omne V. T. spectaret. Constabat illi, quaecumque in sacris libris possint de postremis diebus explicari, ea sic explicari licere ac debere. Quam regulam secutus, non anxie quaerebat, quomodo litteralis V. T. sensus cum *Messianâ* interpretatione verissime posset conciliari. De *Messianâ* singulorum locorum significatione disputare, ei supervacaneum fuisse statuamus necesse est, hac lege assumptâ: ubivis in V. T. CHRISTUS ei loqui ac agere videtur. Prouti coelum stellatum adspiciens, quo acrioribus quis gaudeat oculis, eo plures secernit stellas, sic scriptor, quo magis Spiritum illum sanctum in V. T. operantem animadvertit, eo plura de CHRISTO vaticinia edita in eo invenit <sup>2)</sup>.

---

» nam in scopo ipso diligenter cavent, ne Scripturam trahant in alienum  
» sensum, sed tam in verbis, quam in aliis, quae praesentis instituti non  
» sunt, sibi liberius indulgent.»

1) Iniqui igitur in nostrum scriptorem sunt ii interpretes, qui ejus interpretandi rationem cum *Rabbinorum* allegoriis plane conferant, ut Böhme, Döpke, D. Schulzius, (in *Diss. de interpretationis epistolarum Paulinarum difficultate*, 1807), aliique. — Contra Thol., in *Comm.* introitu, p. 101 sqq.

2) Rudelbachius, in *Zeits. für Luth. Theol. u. Kirche*, II. 1842, p. 33:  
» *Citiren* ist an sich ein viel zu *starrer* Begriff, als dass er sich so ohne Wei-  
» teres übertragen liesse: wir müssen uns, in der Anwendung auf die Verfas-

Quae si jure observavimus, jam sponte nobis apparet, quid statuendum sit de quaestione, utrum pro lubitu in V. T. locis ad Novum accommodandis allegorizans versatus sit, an divinum consilium revera ipse agnoverit?

II. Haec cum fuerit scriptoris de V. T. cogitandi ratio, exinde jam sequitur, eum talem inter V. T. vaticinia et CHRISTI fata convenientiam minime coeco casui adscribere potuisse. Quid? quod persuasissimum ei erat, ita scripsisse et testatum fuisse Spiritum s., quia postremis diebus haec acciderent atque implerentur per CHRISTUM.

Plura quidem loca, e. c. Ps. II. CX, alia, a scriptore tamquam *Messiana* esse spectata, communis interpretum est sententia; quod, quum inter omnes hac de re constet, diserte probare non opus nobis videtur. Quo vero jure ceteras vaticinationes ad CHRISTUM referat, disputatur. Quod si autem, quae modo observavimus, vera sint, nequaquam dubitari potest, quin hae etiam, ex ipsius sensu, res Christianas spectasse censendae sint. Etenim, si idem Deus et in V. et in N. T. locutus sit, non est, quod miremur, Eum suo Spiritu talem inter utrumque convenientiam nexumque posuisse, qualem scriptor sibi cogitavit. Totidem quidem verbis ipsum hoc non indicasse concedimus; sed, nisi haec ipsius sententia sit, quid quaeso omnia illa citata probant? Quibus tamen probandi vim diserte tribuit noster. Nonne absurda dicenda foret ea interpretandi ratio, quae omnem historicum sensum tolleret? Quis talem inscitiam mysticamque indolem nostro scriptori obtrudere auserit? Et vel sic tamen Psalmus CII, ut hoc omnium luculentissimo exemplo utar, de cujus sensu historico nullus sanae mentis homo du-

„ser des N. T., sofern sie das Alte in ihre Rede verweben und theils Licht aus demselben, theils Licht in dasselbe werfen, die geistig-freiste Benutzung denken (wie es nicht anders seyn konnte zwischen denen, die von demselben Geiste Gottes getrieben redeten), die aber eben, in der *Ge- bundenheit* an Gottes Wort sich bethätigt.“



bitat, ad probandum, mundum a CHRISTO esse conditum, affertur C. I: 10.

Assumtâ vero scriptoris de V. T. sententiâ, non amplius arbitraria est dicenda hujus loci laudatio. Sive cum WETTIO<sup>1)</sup> statuas, eum V. T. *Jehovam* CHRISTI archetypum habuisse, seu cum aliis<sup>2)</sup> facias, qui putent, creatorem et se patefacientem V. T. Deum, in Psalmo spectatum, ex ejus mente, nullum fuisse nisi *Filium*, per quem et mundus sit factus. Quidquid praeferas, absurditate vacare laudationem, quis non videt? Idem autem de ceteris locis valet; de quibus singulis exponere longum sit<sup>3)</sup>. Quid mirum, si consilii et fortuitae q. d. harmoniae distinctio non semper ostendi possit; num ideo scriptor *Rabbiniis* allegorizantibus est equiparandus<sup>4)</sup>? Quemadmodum animus religiosus Deum, ubique operantem animadvertit in rerum naturâ; idque ibi maxime, ubi, etiamsi nexus causam inter et effectum lateat, consilium magis dilucide in oculos incurrit; sic idem in historiâ usu venire, quis miretur? Quid vetat, quominus scriptor, totum V. T. opus Spiritûs Dei existimans, ubivis divina consilia

1) Vid. ejus Diss.: *Ueber die symbolisch-typische Lehrart des Briefes an die Hebräer*, p. 16; in *Diario Theol.*, quod cum Schleierm. et Lückio ipse edidit, III, 1-51, Ber. 1823. Cf. *Theol. Beil.* p. 25, qui Wettii verba laudat.

2) Hanc sententiam Doct. Da Costa proposuit in opere: *Voorl. over de Hand. der App.* I, p. 68 sq. Cf. ejus *Voorl. over de waarh. en waardij der S. van het O. T.* II. Prael. 30 et 31, p. 95 sqq. Cui aliquatenus assentit Bleekius, II. p. 105, scribens: » Was aber die andere Klasse betrifft, diejenigen Stellen, die sich ursprünglich auf Gott, Jehovah beziehen, so wird er » darin geschildert, wiefern er sich offenbarend in die Welt tritt, wiefern er » der Schöpfer der Welt ist, und fortwährend wirksam in die Regierung und » Lenkung derselben eingreift. Das ist aber eben die Seite der Gottheit, von » welcher sie in der späteren Jüdischen Theologie, welche auch unser Ver- » fasser sich angeeignet hatte, als der Logos, als das Wort Gottes und der » Sohn Gottes bezeichnet wird, in Unterscheidung von dem höchsten oder » verborgenen Gotte." 3) De hisce locis vid. omnino *Theol. I. I.*

4) Digna sunt quae hic citentur verba Hamanni: » Gott hat so viele » Wunder gethan, damit wir nichts mehr für Natur erkennen sollen."

reperierit, ubi non nisi mere fortuitam convenientiam illius sententiae non addictus vidisset scriptor. — Quod tamen non ita acceptum volumus, ac si statueremus, nostrum scriptorem nullam grammatico-historicae interpretationis rationem habuisse. Minime vero; in totâ ejus epistolâ nullam invenimus causam, cur hoc putaremus. Sed hoc nobis volumus, totum Vetus Testamentum unum magnum typum (ut ita dicamus) Christianae religionis ipsum existimasse. JESU saltem ejusque Apostolos in pluribus V. T. oraculis talem typicam interpretationem esse secutos, nisi longum esset, facile foret probatu <sup>1)</sup>. Quae hisce enunciatis continetur veritas, mutatis quidem formis, notione vero immutatâ, variis temporum periodis redire solet. — Quo magis vero de scriptoris mente nobis constet, age exemplum ex hac epistolâ afferamus. C. II: 12 Psalmum XXII citat scriptor; quâ de re ita statuendum nobis videtur. A DAVIDE fuisse confectum hoc carmen, aegrotante ipso cum animo, tum corpore, una cum aequalibus suis statuendum ei erat. Jam vero tristi suâ conditione depressus regius ille poëta, Spiritu divino afflatus <sup>2)</sup>, sublimiorem virum patientem, promissum nempe *Messiam*, ut sibi proponeret, inductus fuit; cujus imago tam vivide ei ob oculos versabatur ut, magis minusve sibi conscius, *Messiae* personam induerit, ejusque partes, suis perpessionibus gloriaeque cauendis, egerit. Quo fit, ut sui ipsius fatorum descriptioni multa immiscuerit, quae omni suâ vi de DAVIDE non valeant. Cur saltem talem cogitandi rationem a scriptoris personâ alienam existimaremus? Nonne *Judaeus* erat? Nonne in eum quadrat illud COMENII dictum: *vir est desideriorum* <sup>3)</sup>? Scriptorem spiritum propheticum DAVIDI tribuisse, ex eo etiam patet, quod

1) Hoc, exemplis allatis, probavit Thol. l. l. p. 16 sq. Cf. omnino Da Costa, *Voorl. over de vercheidenh. en overensst. der vier Euv.*, I.

2) *Ἐν πνεύματι*, uti Christus, Ps. CX laudans, Matth. XXII: 43, de Davide affirmat. Cf. Hengstenberg, *Christ.* I, p. 93.

3) Amos scilicet Comenius sic se ipse vocavit. Cf. Thol. l. l. p. 10.

IV: 7 huncce Spiritum ἐν Δαβὶδ esse locutum, diserte monet. Quatenus scriptoris sententia nobis credendi norma sit habenda, non nostrum est exponere. Nobis hic sufficit in illius mentem inquisivisse; de quâ diutius dubitare nos vetant *cum* diserta jam memorata hujus epistolae enunciata, *tum* magna, quam sacrae scripturae tribuit vis, *tum* denique commune fere Judaeorum primorumque Christianorum suffragium. Quae omnia majorem adhuc accipient lucem, ubi Capite *secundo* historicam hujus epistolae typologiam perscrutati fuerimus; unde et alia loca, et potissimum 2 Sam. VII: 14 (c. I: 5), et Ps. VIII: 5-7 (c. II: 6-8) facilius explicabuntur. Nunc pauca tantum addamus de Ps. XL: 7 (c. X: 5-9). In hoc psalmo loquens inducitur rex, qui primum quidem Moisaicum sacrificiorum offerendorum ritum omni suâ vi vindicaverit, simul tamen verum ejus sensum aperuerit. Scilicet non externa illa sacrificia, sed observantia et obsequium Deo placebant. Utrum Versio Alex. haberet σῶμα δὲ κτήρ-  
 τίσω μοι, Codex vero Hebr. אֵוִים בְּרִיתִי, scriptori, ad Spiritum, non litteram attendenti, perinde videbatur, modo loci sensus idem maneret. Psalmi verba ex ipsius sententiâ *Messiae* tribui possunt 1); in cujus demum ore haecce verba omni suâ vi impleta fuerint. Quis enim majore jure sic loqui potuit quam Christus, qui mundum ingressus, suo sacrificio *Levitica* illa sacrificia prorsus abrogavit?

1) Typicam hujus Psalmi significationem Schleiermacherus quoque agnoscit, in Oratione suâ sacrâ de loco Hebr. X: 12 (VII, no 5): » Unser » Verfasser, » fängt damit an, dass er als bezüglich auf die Erschei- » nung des Erlösers in dieser Welt Worte des A. T. anführt, die der Erlöser » gleichsam selbst müsste gesprochen haben bei seinem Eintritt in diese Welt; » quae V. cl. verba citat Thol. l. l. p. 25. — Contra Hengst. *Christ. I.* 1, p. 196-201, *Messianam* hujus Psalmi interpretationem acriter defendit. Verbo tandem hic Paravii, *Inst. int. V. T.* p. 330, conjectura commemoratur, stautentis hunc psalmum duntaxat constare e ss. 1-12; quâ assumptâ sententiâ multae evanescent difficultates. Cf. C. C. Tittmann, *ad loca Ps. XL:* 7-9, et *Heb. X: 5-7*, in *Opusc. Theol.* p. 193-210.



Ejus ideo Spiritu DAVIDES fuit ductus, cum hoc effatum emitteret.

Ne ii quidem e V. T. citati loci vana verba et allegoriae inanes sunt habendi, quos, proprie oracula non dicendos, suis sermonibus scriptor inseruit 1). Plurimae sunt verbi divini imagines, ut ita dicam, et comprobationes, quas optime fortasse comparare possis cum illis *visis e longinquo, sive teleseopiis*, quae in optica picturaria sunt notissima. Quemadmodum haec spatio intermisso oriuntur; sic illa effata diversis temporibus rursus veriusque implentur. Quocirca ne mera parallela existimemus locos, quibus ex mente scriptoris maxima probandi vis sit adscribenda; imo argumentorum instar potius eos habeamus. In Veteri eundem atque in Novo Testamento Spiritum operantem agnoscebat. Quae ibi, singulari nexu cum historia juncta, relata legebat, hic in totius centro impleta reperiebat. — Exemplum nobis sit Ps. VIII, quem non proprie ad *Messiam* retulisse scriptorem, patet ex citatione II: 6-9. Hoc enim loco s. 6-8 primum de *homine* universe loquitur, alludens verosimiliter ad primi hominis creationem, tum sect. demum 9 demonstrat, quomodo illa perfecti hominis notio in JESU personam potissimum impleta sit;

1) Verba Dre viii (in J. L. Ewald, *Ueber Predigerbesch. u. Predigerbetragen*, H. IX, p. 183) hic addenda sunt: »Jeder Unbefangene sieht indes-  
sen wol, es verhält sich mit diesen, auch blos angewendeten Citaten anders,  
als wenn Paulus ein Paarmal in seinen Schriften auch Stellen aus Profan-  
scribenten citirt. Man kann sich nicht wol des Gedankens erwehren: Pau-  
lus glaubte: das Gesagte müsse dadurch mehr Ansehen und Gewicht erhal-  
ten, ausser Zweifel gesetzt werden, eher und tiefer eindringen, die vorge-  
tragene Wahrheit dadurch erst zu einer göttlichen Wahrheit erhoben wer-  
den.“ Et p. 185: »Ihm ist das ganze alte T., eine mit Weisheit gemachte,  
fortgeführte Anstalt Gottes, ein grosses Ganzes, durch einen fortgehenden  
Plan Gottes genau verbunden und zusammenhängend, Sünde des ersten Men-  
schen und ihre Folgen, Verheissungen an Abraham und seine Nachkommen,  
Gesetz von Gott durch Moses gegeben, Alles löset sich in Jesu, in dem  
was durch ihn schon geschehen ist und noch geschehen wird und soll —  
bis auf die entfernteste Zukunft hinab — in Göttlichderliches Eins auf.“

quippe in quâ filium illum hominis, gloriâ et honore coronatam intueamur 1). — Eâdem ratione, ut aliud addamus exemplum, proponere potuit Christianos quoscumque, effato utentes, quod exstat Ps. CXVIII: 6; in quorum ore aequè vera atque efficacia hæc verba essent dicenda. Nimirum plerumque quod de quocunque pio, sub V. T. vivente, quodque potissimum de christo valebat, de singulis etiam Christianis, fide cum illo junctis, prædicari potuit.

Primo obtutû majorem nobis creant molestiam ii loci, quibus scriptor unius vocis significationem præ ceteris urget, ad rem suam comprobandam; prouti et g. II: 9. IV: 4-10. X: 5-10. XI: 13. XII: 26, 27. In his, si usquam, inanis *Rabbinorum* argumentandi ratio conspicua esse videtur. Re tamen accuratius perpensâ, magnum discrimen et hic inter vanas horum nugas et commenta, atque nostri scriptoris interpretationem cernimus. *Primum*, ut recte observat Tholuckius 2), *Rabbinorum* argumentationis ea erat ratio, ut ex ῥήματι vel γραμμάτι ea derivarent, quæ ne κατὰ διανοίαν vel κατὰ πνεῦμα quidem alicui loco inessent; minime vero Rabbinica commenta sequi dicendus ille est, qui ea, quæ κατὰ διανοίαν vel κατὰ πνεῦμα dictis continentur, ex ῥήματι vel γραμμάτι ducere studeat. Apud nostrum vero scriptorem posteriorem

1) Off. Abreschius, ad h. l.; et Disp. J. L. Overdorpil, *Aanhalingen van plaatsen des O. in het N. T.*, 1804, a Soc. Hag. præmio ornata, p. 297 sqq., qui eandem sententiam proponunt. Præ ceteris vero hic verba cl. J. H. Scholten, in *Oratione de vitando Docetismo*, p. 75, de h. l. sunt addenda. » Laudatur, » inquit, » Ps. VIII, quo hominis præstantia poetica subtilitate pingitur; hominis, ut ita dicam, *ideale* adumbratur. Hoc vero » ideale, summo in omnem rerum naturam imperio, conspicuum, hæcenus » autem in nullo homine manifestatum, in Christo apparuisse statuit auctor, » ut in hoc humanitatis perfectissimo exemplo impletum fuisse poetæ et ideale » existimandum. Pronomine igitur ἀὐτοῦ s. 8. intelligendum esse τὸν ἑνδρακτον » universe, non vero Jesum Christum, cum Kuinoelio et Palmio adversus Böhmi- » um et Tholuckium defendimus. » Off., jubente V. cl. Palmius ad h. l., et *Cant. Euang.* 113, 5.

2) V. Thol. *Beil.* p. 32 sqq.

duntaxat rationem obtinere, accurata horum locorum docet interpretatio. Etenim cum saepius ex verbo duxisse, quod proprie rei tantum inest, nemo facile negare poterit. Dicta autem ut probemus, de singulis hisce locis breviter videamus.

Nullus fere locus ita torsit interpretes, ac II: 5-9, ubi Ps. VIII laudatur, de cuius sensu modo jam vidimus. Quatuor in primis difficultatibus hujus loci explicatio premi videtur; nam de vocabulis  $\tau\acute{\iota}$ ,  $\beta\rho\alpha\chi\acute{\upsilon}\ \tau\iota$ ,  $\alpha\gamma\gamma\acute{\epsilon}\lambda\omicron\upsilon\varsigma$  atque  $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma$ , Psalmo cum scriptoris interpretatione collato, valde disputarunt Viri docti. Psalmum vero, licet hominem idealem, ut ita dicam,  $\kappa\alpha\tau'\ \epsilon\acute{\xi}\omicron\chi\theta\acute{\eta}\nu$  celebret, recte ad CHRISTUM referri *posse*, et omni suâ vi si sumatur, *debere* referri, supra jam indicavimus; neque hac de re facile dubitari potest. Quod vero attinet ad quaestionem, utrum  $\tau\acute{\iota}$  ad hominis praestantiam, an vero ad ejus miseriam sit referendum, posterior sententia prae priore valde nobis se commendat; cum alia nulla explicatio neque in Psalmo, neque h. l. tam bene contextui congruat; cui accedit, quod causa dari non possit, cur aliam voci  $\text{זֶכֶר}$  vel  $\text{פֶּקֶד}$  significationem tribueremus 1). Minus certo nobis constare de formulae  $\beta\rho\alpha\chi\acute{\upsilon}\ \tau\iota$  interpretatione lubenter profitemur. Hancce formulam plerumque significare *breve temporis intervallum* (cf. Act. V: 34) cum facile damus 2), exinde difficultas oritur, num quoque  $\text{מַעַז$  in Psalmi s. 6 *de tempore* sit accipiendum, uti multi statuerunt interpretes 3). Quod, etiamsi ita accipi *posse* negare non ausim, aequè tamen minus affirmandum nobis videtur, cum plurimis interpretibus, non facile aliquem, nullâ opinione antceptâ occupatum, Psalmi locum, in se spectatum, ita expli-

1) Cf. Thol. ad h. l. 2) Cf. Valckenaerius, in *Scholis*, a Wasenbergio edd., ad h. l. II. p. 430; et Bleekius ad h. l. Joh. VI: 7 tamen non de tempore, sed de número occurrit. 3) Ita Erasmus, Beza, Gerhardus, Calovius, Venema, Michaëlis, Abreschius.



caturum esse <sup>1)</sup>. Quidquid est, non videmus, licet scriptor in hac voce exprimendâ Versionem Alex. sit secutus, hoc discrimen, quoad summam rei, tanti esse faciendum, ut Psalmi sensum prorsus evertisse censendus sit noster. Quod observantes, cum CALVINO concludimus: „Sensum noluit evertere Apostolus, neque alio deflectere: sed tantum in Christo „considerare jubet diminutionem, quae ad exiguum tempus „apparuit, deinde gloriam, quâ in perpetuum coronatus est, „idque facit alludens magis ad verba, quam exprimens quid „intellexerit DAVID.“ Atque in hoc quidem acquiescendum putamus. — Porro in textu Hebraico legitur אֱלֹהִים, quod vocabulum *Deum* plures vertunt interpretes <sup>2)</sup>. Attamen quo jure Alex. Versio, quam scriptor ad verbum secutus est, hanc vocem per ἀγγέλους recte expressisse negetur, nondum perspicimus. Nam ita verti posse ipsi *Judaei* probant, et Versionem illam, et hanc explicationem ignorantes, veluti SYRUS, VULG., CHALD., ABR-ESRA, KIMCHITUS, alii. Atque ita verti *debere* docet linguae consuetudo, coll. Ps. LXXXVI: 8. XCVII: 7, 9, aliisque locis, ubi hoc nomine Angeli insigniuntur. Accedit, quod, praeter dictionis duritatem atque insolentiam, אֱלֹהִים nominatim distinguatur ab אֱלֹהִי illo, qui inde a s. 2 compellatur. — Quod tandem attinet ad πάντα, quod ultra modum urgere videtur scriptor, cum in Psalmo tantum indicentur πρόβατα καὶ βόες, quo jure plura in hoc verbo complexus fuerit, et ex eo argumentum duxerit pro summâ perfectissimâque τῆς μελλούσης οἰκουμένης ὑποταγῆ, disputatur. Hic

1) Sic jam Calv. ad h. l.: » Videtur ad tempus referre, ut sit *Pauliper*: » et imminutionem intelligit, quum exinanitus fuit Christus: et gloriam ad » resurrectionis diem restringit, quum David generaliter extendat ad totam » hominis vitam! » Schlichtingius, Grotius, Hammondus, Semlerus, Thol., Bleekius.

2) Veluti olim jam Theodotion, atque inter recentiores Venema, Tholuckius, Bleekius, alii. Contra nobiscum facient Wolfius, Abreschius, Claussius, Kuinoelius.

in primis usu venire videtur, quod ea, quae κατὰ διανοίαν Psalmi loco continentur, ex ἐφημερίῃ ducere voluerit scriptor. Quod si recte teneamus, nulla difficultas nobis quidem superesse videtur 1).

Idem fere obtinet in loco, quem IV: 4-10 invenimus, quo prae ceteris καταπαύσεως indoles attendenda est, quae tamquam Dei requies describitur; quippe quam Deus concedat, quaque ipse fruatur. Cum vero s. 6 Israëlita dicantur hanc requiem non intrasse, hujus rei causa, ex scriptoris mente, minime in eo cernebatur, quod ipsa illa requies non affuerit; imo vero a mundo condito jam aderat. Cujus consequens est, Deum, postquam illi incredulitate non intrassent, ad eandem requiem invitare homines quaecumque temporis periodo. Quod eo majorem habebat vim, quia sub σαββατισμοῦ imagine Messiani temporis felicitatem sibi proponere solebant Judaei. Quominus vero hunc locum nunc accuratius tractemus, prohibet instituti nostri ratio; cum praeterea magis idonea nobis succurret opportunitas, quā plura de difficili hoc loco monebimus.

Capite X: 5-10 scriptor, ad confirmanda, quae antea dixerat de sacrificiorum Leviticorum infirmitate, Ps. XL: 7 sqq. citat, de cujus sensu Messiano quid statuerit supra jam vidimus. Sed ejus argumentatio minime concinere videtur cum ipsius Psalmi ratione. Accedit, quod Versio Alex. (ne de minoris momenti discrepantiis loquamur) verba Hebraica אֲנִים כְּרִיתָלִי verterit per σῶμα κατηρτίσω μοι, quem igitur errorem secutus fuerit scriptor. Varias hujus loci interpretationes recensere longum foret 2). Re tamen accuratius perspectā, quoad διανοίαν, recte verborum mentem expressisse dicendus est scriptor. Etenim, quod ad rei summam attinens

1) Cf. prae ceteris Abreschius ad h. l.

2) Cf. de hisce Wolfius, in *Curis* ad h. l., Kuinoelius, Tholuckius, Bleekius, alii.

in Codice Hebraico invenitur, nonne huc redit, Deum auribus instructis sive apertis 1), hoc edocuisse (scilicet obedientiam esse praestandam prae oblationibus)? Quid vero aliud in nostro loco indicatur? „Corpus,” inquit Messias, „mihī „parasti, quod tibi sacrificii instar offeram, tuamque exsequar voluntatem.” Premit igitur ὑπακοῆς notionem, idcirco addens: ἰδοὺ ἤκω τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου, quod christus luculentissimā ratione suā morte praestitit. Quam interpretationem confirmat tum s. 10, verbis ἐν ᾧ θελήματι praecipuam tribuens vim, tum tota hujus epistolae ratio, in quā christi obedientia prae ceteris celebratur; quippe quae sui ipsius oblationi summum pretium tribuerit 2). CHRISTUS autem solus sufficit, ac per se idoneus est ad praestandum quicquid Deus requirit.

Quid vero statuendum sit de XI: 13 si quaerimus, tota haec quaestio pendere videtur ab alterā quaestione, quasham nempe notiones de vitā aeternā Patriarchis jam tribuerit scriptor, quā de re infra plura dicemus. Etenim si scriptori constaret, eam iis adscribendam esse cogitandi rationem, quam ab eo expositam videmus, ex γραμμάτι eum derivasse, quod κατὰ πνεῦμα revera hisce dictis inesset, statuendum est. Quid quaeso ipsi obstabat, quominus in iis locis, ubi de peregrinatione suā terrestri locuti sunt Patriarchae, sublimiorem sensum

1) Vitranga, ad Psalmi L: »Aperta auris est mens prompta et prona, tum ad recipiendas, intelligendas ac discernendas doctrinas, quae cui instillantur, tum ad obsequium mandati, quod per aures ad animum fertur.” Cf. Hengstenb., *Christ.* I, 1, p. 198 sq., qui ad Jes. L: 5 et Exod. XXI: 5, 6 provocat.

2) Recte ita explicarunt Calvinus, Hengst. l. l., Thol., et in primis Wettius, *Ueber die Symb.* etc. p. 43, cujus verba hic addere liceat: »Die falsche Uebersetzung der Worte: σῶμα κ. τ. λ. ist zwar in die Anwendung verflochten, aber diese beruht nicht ganz darauf. Hätten auch die LXX. übersetzt: ἄτῃα κατηρτίσω μοι, so wäre der Sinn im ganzen doch geblieben, es hätte immer die Idee darin gelegen, dass Volziehung des göttlichen Willens die wahre Versöhnung gewähre, worauf der Vf. auch oben schon Kap. V: 7-9 alles Gewicht gelegt hatte.” Cf. Tittmannus, l. l.



enunciatum reperiret, ex quo coelestem illi patriam summamque felicitatem in alterâ vitâ obtinendâ exspectaverint 1).

Majorem nobis creat molestiam locus, quem ultimo loco ad hoc genus retulimus, qui invenitur XII: 26, 27, ubi Hagg. II: 6-9 laudatur. Duæ nempe hic nobis occurrunt difficultates; quarum altera ipsam urget laudationem, quum Propheta minime de *Messianis* temporibus loqui videatur; altera vero rationem premit, quâ verba *עֲתִי וְפָאֵץ* a scriptore citantur, quippe quae in Codice Hebr. ne legantur quidem. „Deus a vate nostro loquens introducit tamquam summus orbis terrarum dominus, rex regum ac imperantium imperator, tamquam fortissimus heros, numerosissimo instructus exercitu, qui quasi fax et tuba bellorum esset, illa suâ providentiâ excitaturus, sed et in populi sui felicitatem directurus” 2). Coeli terraeque concussio symbolum est ingentis rerum conversionis, quae Dei regnum praecedere debet (coll. Jes. XIII: 13. Ps. LX: 4. 1 Macc. I: 21). Proprie igitur ad *Messiam* referri non debet 3); sed vel sic tamen non suo arbitrio haecce verba ad *Messiae* tempora traxit noster. Eadem enim notio et h. l. obtinet, nempe haec: coelum et terram 4), omnia quae creata sunt, quatenus Dei regno adversantur, concutienda atque commovenda esse, ut illud regnum immotum maneat. Quam magna igitur atque illustris haec βασιλεία ἀσάλευτος esse debet (s. 28)! Quoad διανοίαν igitur prorsus cum HAGGAEO conspirasse scriptorem, quis non videt 5)?

1) Cf. Thol. Beil. p. 25. 2) Sunt verba J. H. Verschuirii, in *Comm.* ad h. l., inserta ipsius *Diss.*, p. 121 sqq.

3) Ita Hengst., *Christ.* III, p. 325-370.

4) Argumenta, quare haec ad coelum et terram, non vero ad theocratiam Judaicam referamus (prouti Morus, Rosenm., Böhmius, Knin., Steinius), vidd. apud Thol. et Bleekium ad h. l.

5) Egregie hoc observat Gerlachius ad h. l., ejus verba hic citantur: „Es ist also der Grundgedanke der Weissagung hier festzuhalten: Gott verheißt durch den Propheten, nach grossen Erschütterungen der Weltreiche,

At ulterius procedit scriptor, ultra modum premens vocabulum ἕραξ, eo sensu, ut eandem rem, quae in monte *Sinai* obtinuerat, repetitum iri ac postremam fore indicet; quâ de re nulla in Codice Hebr. fit mentio. Ad quam difficultatem diminuendam minime cum nonnullis <sup>1)</sup> statuere volumus, voci ἕραξ illum non inhaerere, quasi post eam κ. τ. λ. esset cogitatione supplendum, ita ut ex concussione coeli et terrae hoc duceret, totius mundi statum CHRISTI adventu mutari debere. Quid? quod haec verba, quae e Versione Alex. depromsit, suum in usum adhibuit, ita ut sensus sit: „semel tantum, ergo nulla amplius postea metuenda mutatio, sed CHRISTI regnum, quod inconcussum, nulli mutationi obnoxium est, florebit perpetuo;” nam idem fere jam indicaverat VII: 12. VIII: 9, 13. — Sed, etiamsi lubenter concedimus, scriptorem exinde plus duxisse, quam ἐνυάτι insit; jure tamen statuere videmur, quod de regni divini immutabilitate monet, reverâ κατὰ πνεῦμα HAGGAEI effato contineri. Et haec quidem de singulis hisce locis sufficiant.

*Praeterea*, omnis arbitrariae rationis species plane tollitur, si ad scriptoris de V. T. sententiam, supra jam indicatam, rite attendimus. Harmoniam V. inter et N. T. modo sumas, cumque scriptore unum eundemque Spiritum in utroque loquentem agnoscas, omnia tibi plana faciliaque fiunt explicatu. Historicus sensus integer manet salvusque; et vel sic tamen sublimiorem ejus veritatem enucleare licet. Sic scriptor liberrime in interpretatione potuit versari, ipsamque rem magis intueri, quam, quibus exprimitur, verba. Verum nihil in hac exornatione est absurdi, quae sensum litteralem integrum

---

» die in Kurzem anfangen sollen, eine Offenbarung des ewigen Himmel-  
 » reiches, das da bleiben soll. Dies unbewegliche Reich ist es, in das wir  
 » aufgenommen werden durch Christum; alle sichtbaren Reiche, auf die Jü-  
 » dische Religionsverfassung, sind nur geschaffen, um dem unerschütterlichen  
 » Reiche Gottes zu seiner Zeit Platz zu machen.”

1) Ita statuit Calvinus ad h. l., et Hengst. l. l. p. 351.

relinquit; πνεῦμα vero in ῥήματι reperit. Ea verba nonne involucra idearum spiritualium illi apparere debebant? Quid? quo penitius ex suo sensu in V. T. spiritum se insinuabat, eo minus γράμματα et ῥήματα curabat, eo magis vero spiritum et vitam esse sentiebat. Quam longe igitur ab ipso aberat, ut suo arbitrio omnem V. T. sensum misceret perverteretque? Totum V. T. ei erat τύπος αἰῶνος μέλλοντος, cuius perfectionis eo continebantur principia<sup>1)</sup>.

Minus certo ex hacce epistolâ efficere possumus, utrum V. T. scriptores hujus Spiritûs sancti consilii sibi conscii fuerint. Quum tamen ubique Ille tamquam loquens atque testans inducatur, ipsorum librorum scriptorum ne mentione quidem injectâ<sup>2)</sup>, hac de re nihil affirmare ausim. At vel sic tamen non mera Spiritûs sancti instrumenta eos habuisse

1) Hoc statuentes, duplicem q. d. sensum tamen rejicimus. Recte igitur Rudelb., l. I. p. 38: »Wäre es mithin auch öfter der Fall, dass irgend eine prophetische Stelle, die vorher den ersten Zeiten des Christenthums adaptirt, wiederholt würde in Zusammenhang z. B. mit den Zeichen der letzten Zeit, wir könnten doch darin wesentlich nur dieselbe Erfüllung sehen, denn wirklich sind ja die ἔρχονται καιροί, dieser von flachen Auslegern so oft gemisdeutete Begriff, schon bei den Propheten ein Continuum von wesentlich zusammengehörigen Momenten, die nur in ihrer Integrität und Beziehung auf einander verstanden werden können.»

2) Semel tantum, scil. IV:7, DAVIDIS nomen diserte additur; sed et h. l. est Spir. s. ἐν Δαβὶδ λέγων. — Eximie hac de re scripsit doct. J. da Costa, in egregio libro: *Voorlezingen over de verscheidenheid en de overeenstemming der vier Evangelien* etc. »Zoodanig,» inquit, »heeft de H. G. zich met den geest van menschen willen vereenigen, zoodanig met menschen, geloovige dienaars van Jesus Christus willen vereenzelvigen, dat de Schrift even waarlijk en wezenlijk Zijn Woord en hun woord, Zijn werk en hun werk is. En dit is hetgeen wij ook in de Schriften zelve op de nadrukkelijkste wijze terug vinden, als b. v. een woord uit Psalmen of Propheten dan eens aan den schrijver door den Geest, dan eens aan dien H. Geest onmiddellijk toegeschreven, en als zoodanig aangehaald wordt (Marc. XII: 36. Hebr. III:7. X: 15-17 enz.)» II. p. 237. — Cf. Augustini enuntiatum: »de Deo homo dixit et quidem inspiratus a Deo, sed tamen homo.»



nostrum scriptorem tuto statuitur; quod etiamsi negamus, Spiritu sancto operante, in eorum verbis plus inesse potuit, quam ipsi sibi conscii essent. Lucem hic afferre videtur tum JOANNIS *Evangelistae* animadversio in ejus evangelio, XI: 51, tum PETRI effatum 1 Ep. I: 10-12.

Sed haec de vaticiniis dicta sufficiant. Quo magis autem in scriptoris de V. T. sententiam nos insinuemus, secundo Capite inquirere conabimur, quis qualisque V. T. historiae usus in hacce epistolâ obtineat. Ad quam disquisitionem jam accedamus.

## CAPUT II.

### QUA RATIONE V. T. HISTORIA UTATUR.

Tam arctus est nexus, qui V. T. historiae cum ejus vaticiniis intercedit, ut haec ab illâ prorsus divelli nequeant; quocirca nonnullis jam supra indicatis fortasse repetendis, ne quem offendamus speramus. Quo magis tamen nobis constet de ratione, quâ V. T. usus sit scriptor, oculos convertemus cum in *typicum*, tum in *practicum* ejus usum.

#### § 1.

#### *Typicus V. T. historiae usus.*

In *typico* historiae usu exponendo ita versabimur, ut *primum* hujus epistolae locos, quibus typica illa explicatio contineatur, recenseamus; *deinde* de ratione, quâ scriptor de historiâ senserit, videamus.

In nullo N. T. libro tam frequentem antiquae Israëuitarum historiae usum animadvertere nobis licet, quam in epistolâ ad *Hebraeos*. Ubique, ut major Evangelii praestantia ac pretium cuique pateat, hoc inter et V. T. res personasque

comparationes instituuntur; sed prae omnibus magna illa similitudo, quae universae V. T. theocratiae, summo in primis Sacerdotio sacrificandique ritui, cum magno illo N. T. Pontifice, huiusque sacrificio intercedit, exponitur. De qua tamen convenientiâ cum Capite III separatim nobis sit agendum, nunc tantum reliquas, quae inveniuntur, historicas comparationes indagemus.

Occurrit autem mox locus II:5-9, qui a nonnullis quidem de *Messia* est explicatus, multo vero melius ad hominem universe refertur, quod èt ipsius Psalmi argumentum, èt scriptoris citandi ratio docere videtur. Psalmum enim pulcherrimum exhibere hymnum in Dei magnificentiam, omnium rerum creatione conspicuam factam, quis neget? Commemorat illic DAVIDES beneficia, quibus humanum genus prosequitur Deus. Postquam enim, quae cernitur in coelo et stellis, celebravit Dei potentiam, ad homines descendit, in quibus maxime suspicienda est mirabilis supremi Numinis bonitas. De homine universe spectato noster etiam scriptor hisce verbis usus esse videtur, ut supra jam indicavimus, s. 6-8. Nunc vero s. 8 sic pergit: » *Atqui nondum videmus illi (homini) omnia esse subjecta*; hanc igitur hominis potentiam nondum cernimus. Cujus objectionis vim scriptor s. 9 ita tollere conatur, ut peccato amissum illud donum de integro instauratum esse dicat in CHRISTO, qui hominis puri integritque imaginem plane exhiberet; in quo tamquam in speculo totum genus humanum, fide ipsi conjunctum, jam gloria et honore coronatum intueri licet. Capitis enim gloria pignus ei praebet certissimum, quo constet, et omnes, Ipsi fidem habentes, ejusdem honoris consortes fore. Quae si recte animadverterimus, dubium esse nequit, quin primum hominem inter et CHRISTUM comparatio h. l. instituat<sup>1)</sup>.

In initio Capitis III CHRISTUS CUM MOSE confertur, ita ta-

1) Cf. P. J. Laan, *de hope van den waren Christen*, p. 92 sqq.

men ut illius praestantia prae hujus meritis valde celebretur. Hic alios regens, simul ipse regebatur, quippe servus; Ille autem, utpote Filius, principatum obtinet, domumque Ipse construxit. Hic in terrâ tantum locutus est, Ille vero e coelo, ut Dominus (XII:25). Hic summus quidem V. T. Propheta jure praedicatur, at Ille promissus fuit Propheta, cui obedire deberent Israëlitae, τὸν ἀπίστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ἁποστολῆς Eum agnoscentes.

Quemadmodum JOSTA (ita scribit IV:8) Dei populum triumphans induxit in terram Canaäniticam; sic, ut requiem spiritualem suis pararet, in coelum intravit CHRISTUS, JOSTA ille coelestis. Ex quâ collatione satis apparet scriptorem temporalem terrestri Canaänis possessionem sibi tamquam imaginem atque symbolum proposuisse spiritualis hereditatis; quâ adeo sententiâ sua fulciat monita adhortationesque: c. III et IV.

Sed nullam comparationem copiosius persequitur, quam CHRISTI CUM MELCHIZEDECO convenientiam; nam singulatim enumerat, quae sint consideranda in MELCHIZEDECO, quibus similis sit CHRISTO, c. VII. Cujus rei hoc fuit propositum, ut CHRISTI sacerdotii praestantiam prae *Levitico* exponeret. In introitu (s. 1-8) diserte ea recenset, quibus conveniat MELCHIZEDECUS cum Dei Filio; sed de his separatim videbimus. Paucae duntaxat observationes ad scriptoris mentem consiliumque exponendum hic sufficiant; nam omnibus obscuri hujus loci difficultatibus solvendis nos impares esse lubenter confitemur 1).

MELCHIZEDECUM, de nostri scriptoris sententiâ, historicam fuisse personam, tum ex omni, quâ de ipso loquitur ratione, tum e sermone, quem ille cum ABRAHAMO habuit, sponte patet. Quod nisi ponas, quid, quaeso, historiae, Gen. XIV:18-22,

1) Prae ceteris hic conferantur Calvinus, Abreschius, Böhmus, Bleckius, Tholuckius, et ne alios commemoremus, Steinius.



narratae, laudatio valet? Imo vero tum ABRAHAMI etiam historiam ad fabulas posses referre 1).

Porro ipsum MELCHIZEDECI nomen esse nomen, quod *Grammatici* vocant, *proprium*, non *appellativum*, tam certum atque exploratum est, ut nullus hodie de eo inter interpretes dissensus animadvertatur 2). Ad quam sententiam refutandam frustra EBERHARDUS, aliique provocant ad hujus nominis significationem. Quis enim tam stultus est, ut nesciat, hoc pluribus nominibus Hebraeorum privum esse propriumque? Neque in formâ Hebraicâ praesidium quaeri potest 3). Majorem vero difficultatem creat quaestio, utrum vox SALEM reverâ nomen urbis indicare censenda sit, an potius cum aliis 4) spirituali sensu duntaxat a scriptore sit adhibita. Nobis quidem, ad historicum plane contextum attendentibus, prior sententia verisimilior adhuc videtur. Quae vero urbs hîc significetur difficile est dictu: quod quamvis minoris momenti judicemus, *Hierosolymas* tamen indicari ideo negandum esse videtur, quod hac assumptâ sententiâ typicum ejus usum cum BLEEKIO 5) desideremus.

Magis vero ad nostram rem spectat disquisitio, quid s. 3 senserit scriptor, MELCHIZEDECI *ἐπάτορα, ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον κ. τ. λ.* describens. Quae proprio si accipi voluisset

1) Recte Bleekius ad h. l. III, p. 296: „Nach der ganzen Weise, wie »der Verfasser hier von Melch. redet; und nach Dem, was er von seiner »Stellung gegen den Abraham hervorhebt, tritt aufs deutlichste das her» vor, dass er ihn eben so wie diesen Patriarchen wirklich als eine his» torische Erscheinung betrachtet.“

2) Cf. Abreschius ad h. l., et ab eo laudati scriptores. Addatur K. W. Stein, *Der Br. an die Heb. theor.-pr. erklärt*, Lips. 1838 ad h. l.

3) Vidd. omnino Rosenm. ad Gen. XIV; 18; et Michaelis ad h. l. contra Eberhardum, *Apologie des Socrates*, II, p. 169. Cf. Lotzium, in *Diss.* postea laudanda, p. 33 sq.

4) Sic, aliis omissis, Bleekius et Steinius.

5) Recte haec animadvertisse nobis videtur Bleekius ad h. l. Contra *Hierosolymas* significari in primis contenderunt Grotius, Abreschius et Kuinoelius.

sensu, MELCHIZEDECUM prae CHRISTO, de quo haec proprie dici non possent, celebrasset, sibi que ipse oblocutus fuisset; quod quominus statuas, tota ejus argumentandi ratio vetat. Praeplacet igitur communis tam veterum quam recentiorum interpretum sententia, ex qua MELCHIZEDECO haec praedicata tribuantur, quia neque ejus natales, neque mors in s. libris commemorantur. *Primum* enim opponitur MELCHIZEDECUS summo Sacerdoti *Levitico*, ejus legitimae genealogiae cognitae esse deberent (Ezr. II: 62); *dein* hanc interpretationem confirmat usus harum vocum apud Graecos Latinosque 1); *porro* afferri potest additum illud: ἀγενεαλόγητος, ejus genealogia incognita erat; *tandem* propria assumpta explicatione omnis comparationis vis tollitur; quibus omnibus *denique* accedit aliam interpretationem dari non posse, quae melius cum totius loci oeconomia congruere videatur 2).

Neque meliore jure verba sequentia μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές (coll. s. 8, ὅτι ζῆ) proprie esse sumenda multi putant 3), ut adeo adhuc viveret MELCH., sive hac in terrâ, sive singulari ratione in coelum tractus, ibique sacerdotio fungens. Nos ab illorum interpretum 4) partibus stare malumus, qui haecce verba non nimis anxie ad litteram exquirenda existiment, sed ad figurarum vel typorum rationem exponenda. Etenim *primum* ex

1) Exempla attulerunt Abreschins, Thol. et Bloek. ad h. l. Unum instar omnium nobis sit Horat. *Serm. I, S. 6*: »nullis majoribus ortos.»

2) Haec in antiquissimis Versionibus expressa jam est sententia, prouti in *Peschito, Arab. et Aeth.* — Abreschins ad h. l. haec habet: »Equidem nullus dubito, quin M. sic vocetur, quod nec pater ejus matere, nec majores, ex sacerdotum Judaeorum genere fuerint, horumque adeo nulla in catalogo pontificum facta commemoratio.» De qua interpretatione Cf. Lilienthal, *Oordeelk. Bijbelverkl. VIII, p. 338* sqq.

3) Sic recentiores statuerunt interpretes Schultzius, Böhmius et Bleekius. — E quibus Böhmius quidem concedit, non tam de immortalitate personae simpliciter, quam sacerdotii potius hic esse sermonem; sed re bene pensata hoc eodem redire videmus. Cf. Thol. ad h. l. p. 265.

4) Inter quos Abreschium et Tholuckium nominasse sufficit.

prius commemoratâ sententiâ sequeretur, MELCHIZEDECO non tantum immortalitatem, sed etiam eam aeternitatem a parte ante q. d. esse adscribendam, ut numquam non fuisset, nam μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν laxiore sensu accipere non licet; quod quam absurdum sit unicuique in oculos incurrit. Quodsi deinde MELCHIZEDECO aeternum tribueret sacerdotium, unicus mediator aeternusque Sacerdos non amplius esset CHRISTES. Porro verborum ratio huic explicationi obstat; nam μήτε ἀρχὴν κ. τ. λ. ἐπεξεγῆσιν τοῦ ἀγενεαλόγητος constituunt; ne dicamus MELCHIZEDECO h. l. ἀφωμοιωμένον non ὁμοίον CHRISTO vocari, cum semper analogia inter rem et signum tenenda sit. Eâdem ratione s. 8 ad aliam personam, quam sustinebat, nempe Filii Dei, referenda erit. Quae omnia ideo in primis majorem habent vim, quod MELCHIZEDECO praec Aäroniticis sacerdotibus efferre cuperet scriptor; quod ejus consilium s. 16 diserte indicatum invenimus. Denique observandum est, apud veteres *typum* et *antitypum* saepius commutari, ut ejus vis magis in oculos incurrat<sup>1)</sup>.

Hisce expositis jam satis refutantur illorum sententiae, qui vel CHRISTUM tum jam apparuisse putent, vel *Spiritum sanctum*, vel *Angelum*. Quod ad illos, qui CHRISTUM fuisse statuunt, qui *typus* idem et *antitypus* esse potuerit, qui ille ἀπ᾽ ἄνω κ. τ. λ., atque sibi ipsi ἀφωμοιωμένος, s. 3, dici potuerit, ipsi videant. Quod autem nonnulli monent, absurdum esse, Gen. XIV commemoratam historiam ad litteram sumere, nos quidem id non perspicimus, attendentes, apud varios antiquitatis

1) Kuinoelius ad h. l.: » Observandum est, » scriptorem sacrum » non hoc velle, omnia, quae Melchizedeco cum Christo communia dicit, » secundum litteram praecise esse similia, sed certo quodam modo loquendi: » ac proinde de Melchizedeco quaedam dicere, quae de illo non alio sensu » dicuntur, nisi quatenus Christo assimilatur, quaeque absolute de Melch. » dici non possunt: ac proinde quod ait s. 9 ὡς ἔπος εἰπείν, ut ita dicam, » idem etiam aliis, quae s. 3 de Melch. ait, applicandum. » Cf. omnino Calv. ad h. l. et Da Costa, l. l. in *Ned. St.* IV. 272.



populos regiam et sacerdotalem dignitatem conjunctam obtinere, atque monotheismi, etiamsi corrupti, vestigia, et alibi et diutius viginisse. Multo minus probabilis videtur Judaeorum conjectura, qui MELCHIZEDECUM tradunt fuisse SEM, filium NOACHI. Nam si ad hominem certum ac notum referatur, nullus comparationis locus relinquitur; neque illum ἀπάροξα \* τ. λ. dici potuisse, quod moneamus vix opus nobis videtur.

Postquam hanc MELCHIZEDECI descriptionem, s. 1-3, exhibuerat scriptor, s. 4-10, quo magis de CHRISTI, cui assimilatur, constaret praestantiâ, in ejus prae ABRAHAMO laudibus celebrandis pergit. Quâ laudatione ad finem perductâ, singulas recenset partes, in quibus CHRISTUM ipsi MELCHIZEDECO similem facit; quum jam s. 1-3 utriusque similitudinem quoad nomen regnumque commemoraverat. Est autem nobis, varia haec parallela CHRISTUM inter et MELCHIZEDECUM intuentibus, observandum, minime omnia typica momenta a scriptore suum in usum esse adhibita, uti v. c. urbem pacis, vinum atque panem, alia<sup>1</sup>).

Similitudines vero, quas recenset, hae sunt:

1. Uterque extraordinariâ, non *Leviticâ* ordinatione ab ipso Deo est constitutus, s. 11-14.
2. Uterque in aeternum Sacerdos manet, neque de abolitione sacerdotii sermo injicitur, s. 15-17, 23-25.
3. Accedit, quod, quum CHRISTES constitueretur, jusjurandum interposuerit Deus, s. 20-22.

De quibus plura monere, non hujus loci nobis esse videtur. Quamobrem cum postea de hac comparatione uberius dicturi simus, nunc quidem, ne idem bis dicamus, dicta sufficiant, ad indicandam rationem, quâ V. T. historiâ typice utatur scriptor. Hoc tantum addere juvat, totam hancce argumentationem ne scriptori quidem esse tribuendam, quippe

1) Quod jure observarunt Böhmius et Steinius ad h. l.

qui Geneseos locum non tam spectaverit, quam Ps. CX:1 adhibitum exemplum in suum usum verterit. Quocirca *typica* haecce ratio ad hujus Psalmi auctorem primo loco est referenda 1).

Alii loci huc spectantes in hacce epistolâ, nobis certe iudicibus, non occurrunt. Nonnulli quidem huc referunt XII:24, ubi sanguis CHRISTI, hîc *αἷμα ἱαντισμοῦ* vocatus, dicitur *meliora loqui*, quam sanguis ABELL. Hic (ex Gen. IV:10) caedis ultionem a Deo postulabat, sanguis contra CHRISTI remissionem atque expiationem peccatorum flagitabat. Quo veteres in primis interpretes sanguinem hostiarum, ab ABELO immolatarum, intelligunt, ut *typicam* h. l. obtrudant significationem 2). Nos vero, suadente interpretandi simplicitate, nullo talis significationis addito indicio, non nisi practice usurpatam comparisonem atque fortuitam allusionem hîc invenire possumus, unde hunc locum minime premendum putamus.

II. Hacce locorum recensione viam nobis paravimus ad scriptoris de typico V. T. historiae usu sententiam exponendam, atque ex ipsius mente vindicandam. Ad quam igitur disquisitionem nos accingentibus, hîc de ejus typologiâ nonnulla jam animadvertere nobis liceat, quae, ubi de universâ V. T. theocratâ quid senserit Cap: III explorabimus, nobis usu venire possint.

Quo magis autem justâ viâ ac ratione procedat disputatio, *primum* inquiremus, quid scriptor per *typos* intelligat, atque ubinam ex ejus sententiâ in V. T. historiâ occurrant. *Tum* fundamentum indagabimus, quo nisus suam argumentandi rationem ex iis depromat. *Tandem* quamnam lucem nonnullis typicis, quae antea explicuimus, vaticiniis hacce scriptoris typologia afferat, ostendere conabimur.

1) Cf. Thol. Beil. p. 43.

2) Quam sententiam tuiti sunt Hammondus, Akersloot et Snabel, *Amoenitatt. theologiae emblematicae et typicae*, p. 109 sqq. Cf. Bleckius ad h. l. III, p. 954.

A. Ipsa vox *τύπος* semel tantum in hac epistolâ occurrit, VIII: 5, estque ea deprompta ex Ex. XXV: 40, qui locus ibi citatur; in Codice Hebr. ubique invenitur vox תבנית, plerumque in Versione Alex. per *παράδειγμα* reddita. Proprie significat id, quod τῷ τύπτειν existit, quae a *cuti-entis* onitur notio (cf. Joh. XX: 25); unde de imagine, ad originalem εἰκόνα expressa, usurpatur, vel de alicujus rei exemplari. Quarum prior significatio hoc loco catenus assumi possit, quatenus mos in monte ostensus *τύπος* non ipsum coeleste tabernaculum, sed externa ejus duntaxat fuerit effigies <sup>1)</sup>. Huic vero voci respondet vocabulum ἀντίτυπον, quod IX: 24 de terrestri tabernaculo, secundum typum in monte ostensum, confecto usurpatur. Quae igitur imago a mose visa medium dici possit vere coeleste sacrarium inter ejusque terrestre ἀντίτυπον; quemadmodum originale inter ejusque in monetâ signum medium constituere recte diceretur pistillum. Ceterae huc spectantes locutiones in hac epistolâ inveniuntur σκιά, ὑπόδειγμα, παράβολη, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, τῶν ἐπουράνιων. Sic loco jam citato (VIII: 5) V. T. oeconomia exemplar et umbra (ὑπόδειγμα καὶ σκιά) vocatur coelestium, cum lex proponitur, futurorum habens bonorum umbram (σκιά τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, X: 1). Evangelium contra ipsam vivam rerum imaginem (αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων) habere dicitur, veram scilicet illam effigiem, quae archetypo plane respondet, quâque veram rei formam atque naturam accurate cernimus, eadem prorsus ratione, quâ CHRISTUS εἶκων τοῦ Θεοῦ vocatur (2 Cor. IV: 4. Col. I: 15).

Ex omnibus hisce locis universâque scriptoris ratiocinandi ratione jam sponte nobis patet, quid per *typos* intellexerit; quam observationem si ad ejus de V. T. historiâ usum applicamus, nulli dubii esse possumus, quia universam sui

1) Cf. Bleekius ad h. l. III, p. 439.



populi historiam similiter spectaverit postremorum dierum adumbrationem atque speculum. Unde consequens est, omnes magnos suae nationis viros sibi proposuisse scriptorem, prouti tot praecursores atque umbras *Messiae*, per quem ultimis hisce diebus ad nos locutus est Deus. Quid? quod, ut cl. WERTII verbis utamur, universum V. T. ei est „Eine grosse Weissagung, Ein grosser Typus von dem, was da kommen sollte und gekommen ist“ 1).

Haecce vero *parallela* plus apud eum valuisse, quam inanes ingenii lusus, neque ab eo micro casu fuisse tributa, exinde etiam patet, quod singulos eventus, ut supra jam indicavimus, ad divinam providentiam referat 2). Qui omnia

1) *Beitrag zur Charakteristik des Hebraismus*, in studiis, a Daubio et Cruzero editis, III, p. 244. Cf. Stapfer, *diss. de Conformitate Operum div. in mundo physico et mystico, eoq. typico et antitypico in Temp. Helvet.* t. V. Just. m. *Dial. c. Tr. Jud.* C. 40 sqq. Non minus egregie hoc exprimit F. Delitzsch, *Die biblisch-proph. Theol., ihre Fortbildung durch Chr. A. Crusius und ihre neueste Entw.*, Lips. 1845. „Nicht blos,“ inquit, p. 174 sq., „in vereinzelt Typen weist das A. T. über sich selbst in die Zukunft hinaus, die ganze alttest. Geschichte ist ein *vaticinium reale* auf die neutestamentliche, sie ist Ein grosser Typus, eine immer bestimmter und dringlicher werdende Weissagung auf das Ende. Mit jedem neuen Geschichtsansatz, jedem neuen Entwicklungsknoten gewinnt sie eine dem Eintritt des Endes entsprechender Gestaltung.“

2) *Typus recte definitur ab Outram, de Sacrificiis*, I, p. 188: „*Typus*, quatenus vox ista sensum habet Theologicum, ita defini posse videtur, ut sit futuri alicujus symbolum quoddam, aut exemplum, ita a Deo comparatum, ut ipsius plane instituto futurum illud praefigurat. Quod autem ita praefigurat *Antitypus* dici solet.“ Cui assentit Blaschius, in *Syst. Komm. über den Br. an die Hebr.* II, p. 607, sic scribens: „Nimmt man die Typen oder Sinnbilder in der engeren schriftmässigen Bedeutung, nach dem Vorgange des Verfassers des Briefs an die Hebräer, so verknüpft man mit ihnen, als Sinnbildern, den Begriff der göttlichen Bestimmung, wodurch Sachen und Handlungen des Levitischen Gottesdienstes, auch solcher, die einer Beziehung darauf haben, das grosse Versöhnungsgeschäfte des göttlichen Mittlers — bezeichnen.“ Rudelbachius, in *Zeits. für Luth. Theol. u. Kirche*, II. 1842, p. 30 sq., de typis historicis monet: „*Typik* ist das Element des Zukünftigen in der Gegenwart und daher mit der *Weissagung* aufs innigste verbunden.“

construxit, *Deus* est (III: 4); *Spiritus sanctus* est, qui per *DAVIDEM* locutus est (s. 7); videndum Christianis erat, ne deficerent a *Deo* vivente (s. 12); *Deus* iterum alium quendam diem constituit (IV: 7); a *Deo* Sacerdos vocatus est *CHRISTUS*, secundum ordinem *MELCHIZEDECI* (V: 10), *Dominus* jusjurandum interposuit (VII: 20); et, ne plura addamus, hoc illudque declaravit *Spiritus sanctus* (IX: 8). Lubenter concedimus, haecce loca maximam partem ad vaticinia atque sacrificandi cultum esse referenda; at quid obstat, quominus, quoad V. T. historiam, ejusdem sententiae fuisse scriptorem statuamus. Quâ de re ne dubitandi quidem locus nobis relinquitur, si attendimus 1. quam arcte haec omnia inter se cohaereant; 2. ex ejus mente V. Novique T. summam fuisse harmoniam; 3. ceteros quoque N. T. scriptores, imo ipsum jam Psalmi CX poëtam, ubivis in historiâ divinum consilium agnovisse.

Haec vero sententia confirmatur etiam, observatâ ratione, quâ typice in hac epistolâ adhibeatur historia, ab omni lusu aliena. Etenim minime omnia in *MELCHIZEDECI* historiâ *CHRISTO* assimilât scriptor; sed eatenus duntaxat, quatenus id ferebat significandi ratio; semperque analogiam rem inter et signum tenet. Tertium similitudinis q. d. ubique occurrit, quae *MELCHIZEDECEM* et *CHRISTUM* inter, habitâ ratione Levitici sacerdotii, sponte cernitur; simulque tamen ad magnum, quod inter utrumque obtinet, discrimen attenditur, quum unumquemque typum umbram, non vero ipsam rem exhibere, probe tenendum sit. Idcirco tam multis prae *ADAMO* celebrat *CHRISTUM*, licet illius quoque laudibus nihil detrahat. Quanto sublimior *MESSIAS* erat *MOSE* atque *JOSUA*; imo, quantum eum inter et *MELCHIZEDECEM* discrimen intercedit! cum ille nonnullis quidem nominibus *CHRISTO* assimilaretur, non vero ei *ὁμοίος* esset. Quam procul igitur noster abest ab eâ arbitrariâ typologiâ, quae, movente jam *AUGUSTINO*, non a Spiritu prophético afflata est habenda, sed mera conjectura



mentis humanae, quae *aliquando* ad verum pervenit, *aliquando* fallitur 1).

Aequè minus scriptoris mentem teneremus, putantes eum, typicâ assumptâ explicatione, historicam V. T. certitudinem minoris fecisse et negasse, vel mythum habuisse, ex illâ similitudine explicandum. Minime vero hanc sententiam ei obtrudere fas est. Mundi creati narratio, ABRAHAMI ET MELCHIZEDECI conventus, MOSIS JOSUAEQUE itinera, ut res in factio positae, apud eum occurrunt. Sed salvâ veritate historicâ, sublimiore dein ratione ea tractat, ut futura secula adumbrantia. Ubique eundem Spiritum operantem cernens, quaecumque sub V. T. fiebant, arcissimo nexu cum Evangelio conjuncta existimabat. Duas praecipue historiae periodos, quarum CHRISTUS erat centrum, distinguebat; harum altera V. T., Evangelio continebatur altera; sibi invicem respondentes, prouti umbra et veritas, corpus et animus. Ita universa suae patriae historia, personae moralis instar, *Messiae* ei erat exemplum; unde explicandum quoque videtur, quid sibi velit scriptor, ubi, salvâ rerum in V. T. narratarum veritate historicâ, singula *Israëlis* sub variis, quibus suberat, iudiciis, regibus principibusque fata ac liberationes *typos* habet majoris etiam liberationis, spiritualis nempe atque aeternae ex peccati servitute. Sic terrestris *Canaänis* possidendae promissum aeternae felicitatis pignus dici potuit 2).

1) *De Civ. Dei*, l. XVIII, c. 52. — Cf. *Thol. Beil.* p. 42; *Calv. ad VII: 3*, „Satis est,” inquit, „quod lineamenta Christi in eo conspicimus; „sicuti vivi hominis effigies in tabulâ cerni potest, et tamen procul distat „homo a suâ picturâ;” atque *H. Witsius, Miscell.* I, p. 394 sq., et *Oecon. Foed.* § 8: „Licet modus in rebus sit, tolerabilis eum peccare existimem, qui Christum se videre arbitratur, ubi fortasse sese non ostendat, „quam qui eum videre renuit ubi se clare satis offert.”

2) Eâdem ratione doct. *Da Costa*, qui scriptoris mentem plane probans, *l. l. I. 70.* „De belofte,” inquit, „van een eeuwige gelukzaligheid was als „omkleed en verlichamelijkt in de tijdelijke bezitting van het beloofde land „van Canaän.”



B. Hisce monitis, simul jam respondimus secundae quaestioni de fundamento, quo nisus argumentandi suam rationem ex iis depromere posset? Enimvero si V. T. sit *σκιὰ τῶν μελλόντων*, minime pro lubitu agit scriptor in typicâ ejus interpretandi ratione, contra recte V. T. historiam rei suae testem citat.

Universe jam *BACO* hoc vidit, quum dicat: „Historia prophetiae genus est, quandoquidem historia divina eâ polleat, supra humanam praerogativâ, ut narratio factum praecedere, non minus quam sequi possit.” Neque facile prudentiores affirmabunt, nullum omnino in historiâ parallelismum esse observandum; imo vero in biblicis praesertim narrationibus hunc cerni, omnes fere concedunt<sup>1)</sup>.

Quod si concedimus, non ita longe a scriptoris mente abesse videmur; modo disertum divinae providentiae consilium in hisce agnoscamus, atque ea, quae antea *analogiae*, licet non omni persuadendi vi carentes, nobis erant, cum scriptore *argumentorum* loco habeamus. Sic historicus parallelismus nobis fit divinus, ut ita dicam, organismus. Tum *FIGURII* verba ut vera probantur: „Was da ewig ist und innerlich „Eins, und nur der Zeit dahin gegeben in Kampf und „äusserlicher Trennung erscheint, das fasst der gottbegabte „Seher wieder zusammen und verkündet es als dieses in „sich Eine, Siegreiche, alles Zeitliche sicherlich Ueberwindende; und der Bürge für all' die Weissagungen ist „aber nur der feste Glaube an den lebendigen Gott, der „fort und fort sich offenbare“<sup>2)</sup>. Vaga esse desinunt omnia, cum nexu nitantur organico, quo V. T. eâdem ratione ad Novum refertur, quâ germen ad fructum. Quod egregie jam expressit *Augustinianum* illud: „N. T. in Vetere latet, „V. in Novo patet“<sup>3)</sup>.

1) Cf. *Thol. Beil.* p. 61. 2) In ejus *Vorschule der Theolog.*, p. 220.

3) Digna, quae hic commemorantur, J. C. Beckii verba nobis videntur, in ejus *Versuch einer pneumatisch hermeneut. Entwicklung des neuten*

Quae si vere disserverimus, ne quaeso arbitrarie allegorizandi, vel duplicis sensus quaerendi studii accuses nostrum scriptorem, quippe qui, salvo sensu historico-grammatico, ex sua mente nihil mystici vel arbitrarii verbis subjecerit, sed altius spectans, Dei consilia ex illis eruerit. — Dum ubique in V. T. de industria ita scripsisse atque egisse eam statuat, omnis ejus explicatio ab eâ genetica sacrae scripturae harmoniâ rite proficisci potuit, quae epistolae initio totidem verbis praefigitur, quaeque tali continetur nexu organico, qualem in seculo futuro perfectiorem videre dicebit, Notis characteristicis, ut ita dicamus, *Messianae*, significationis collectis, singulis jam in Spiritus sancti economiâ peculiarem suum locum scriptor assignat.

*Kap. im Br. an die Römer*, Stuttg. 1833, p. 105 (a Theol. quoque laud., I. l. p. 63): » In diesem Zusammenhang dürfen wir die Citationen nicht bloss » betrachten als geschichtliche Anklagen, denen eine innere Beziehung nur » durch den in sie gelegten Sinn des reflektirenden Schriftstellers zukommt » und deren Schlagkraft in der vollzogenen Parallele aufgeht, sondern als » in sich selbst lebendige Momente des, in organischer Entwicklung durch » die Bundesschriften sich ziehenden, providentiellen Unterrichts und theokr. Geschichts-Planes, so dass sie die plastischen Keime der Vollendungszeit in sich tragen, welche in geregelter Stufenmässigkeit aus den » verschiedenen Durchgangsperioden sich entwickeln. — Damit wird den » tirten Stellen ihre historische Basis und ihre nächste Zeitbedeutung nicht » entzogen, sondern diese werden nur aufgenommen in den theokrat. Gesamt-Charakter des Schrift-Ganzen und in die Gliederung der göttlichen » Oekonomie, wonach ihre genetische Gegebenheit in der pneumatischen Betrachtung sich erweitert bis zu der mit der messianischen Reifungs-Periode » gewonnenen Fülle der Entfaltung. Die Prophetien, wie sie ihre lokal und » temporell bestimmte Grundbildung genetisch aus der Vergangenheit in ihre » geschichtliche Gegenwart hineintreiben, so bilden sie als Gelenke einer in » selbstthätiger Lebenskraft fortschreitenden Entwicklungskette in der Succession der geschichtlichen Epochen ihren Kern durch die näheren und » entfernteren Abschnitte der Zukunft hindurch, aus der *πρὸς* bis zum *πρὸς* » *ἐπιπέδου*. — Prae ceteris quoque hic conferri merentur ejus Animadversiones *Ueber messianische Weissagung als geschichtliches Problem, und über pneumatische Schriftauslegung*, primum insertae in *Diario Theol. Tübing.* III. 1831; postea iterum editae ad ejus libri modo laudati calcem.

C. Atque haec ipsa, quam de scriptoris sententiâ, V. T. historiam spectante, instituiamus, disquisitio clavem nobis praebet, quâ melius intelligamus, quâ multa loca, quae ex merâ historico-grammaticâ interpretatione continuo ad *Messiam* referri non possint, in hac epistolâ ut argumenta citentur, quibus probandi vis tribuatur. Enimvero scriptoris typologiâ historicâ assumptâ, quid obstat, quominus sub nomine atque externâ formâ personarum historicarum Prophetæ in V. T. de *Messid* locuti censeantur? Quid? quod veram tum invenimus solutionem omnium illarum citationum, quas Cap. antecedente ex ejus mente *typico-propheticas* nuncupavimus.

DAVIDES, ut unum alterumque exemplum afferamus, si, tamquam unctus Israëliticæ gentis rex, CHRISTI aeterni illius regis theocratici exemplum typusque ei erat, multae omnino res locutionesque, quas de se ipse praedicaverat Psalmista, ad magnam ejus sobolem referri poterant; unde locis, ex Ps. XXII et XL allatis, lucem afferri facile intelligitur.

Tum etiam promissum, DAVIDI de filio SALOMONE 2 Sam. VII: 14 exhibitum, de *Messid* explicari, mirari desinimus, attendentes SALOMONEM ei *typum* fuisse Illius, qui, ipso fidente, *πλεϊον* esset *Σολομώντος* (Luc. XI: 31). Quae quidem observatio in laudato etiam Psalmo XLV lucem nobis afferre videtur; a quâ tamen re copiosius persequendâ h. l. abstinemus<sup>1)</sup>.

---

1) Hac Diss. parte jam ad finem perductâ, multa nova de vaticiniis historiâque Isr. protulerunt Hofmannus et Baumgartenus, quorum opera et multis hujus ep. locis lucem afferunt, licet meum in usum ea adhibere non potuerim. Jam Chr. A. Crusius in historiâ Israëlis connectionem organicam et causalem suspicatus erat. »Israël,» inquit, »ist die Basis und der »Körper selbst der Kirche, welcher fort und fort sich vergrössern soll und »wächst.« Haec sententiâ ab Hengstenbergio magis est exposita; qui tamen, cum minus organismum perspexisse videatur, nimis sporadice et idealisticè hac in causâ versatus est. Eum secutus est J. C. K. Hofmannus, qui in opere: *Weissagung und Erfüllung im A. und N. T.* 1841-1844, rationem indicavit, quâ in, cum et ex historiâ Isr. divinae se explicuerint



## § 2.

*Practicus V. T. historiae usus.*

Cum separatim in hacce § de *practico* historiae usu, qui in hac epistolâ cernitur, acturi sumus, haec non ita dicta accipi velim, ac si ille prorsus alius sit dicendus, sed hoc volumus, ut, consilii duntaxat ratione habitâ, inter utramque discernatur. Etenim quod ad summam rei attinet, uno indivulsoque nexu tota contextitur historia; quippe quae utilia non tantum postea viventibus praebeat exempla; at simul, in unoquoque gradu Dei regni inferiori, easdem conspicendas offerat rationes, quae deinceps, licet aliâ formâ atque majori veluti scalâ, iteratae occurrant. Duo magna sunt parallela, quorum *gens Israëlitica* constituit alterum, alterum *Christi ecclesia*; nam cernitur ubique idem Deus, eadem agendi ratio, cernuntur eadem praemia poenaeque caedem<sup>1)</sup>.

Quo accuratius tamen procedamus, *primum* de exemplis, quibus suos admonet lectores, ne ad ἀπιστίαν atque impieta-

patetationes. Etenim illam historiam tamquam futurorum germen atque imaginem continentem describit; prophetiam vero tamquam »einen göttlichen Lichtfunken, welcher allemal aus der durch Gott gestalteten Gegenwart hervorspringt.« Quo tamen libertas humana in historiâ conspicua plane tollitur necesse est. Quod videns Mich. Baumgartenus (quo cum J. P. Langius in *Leben Jesu*, 1844, aliquatenus consentit) in *theol. Comm. zum A. T.* aliam proposuit sententiam, ex qua per totum V. T. Christus jam contentus fuerit in Israëliticâ gente, ex qua in temporis plenitudine debuit egredi. Messias ei erat veluti fructus studii, quo humanum ducebatur ingenium, ut hominem idealem adumbraret, quod Deo favente, egregio eventu probatum fuerit in Christi personâ. Cf. de his omnibus F. Delitzsch, *Die biblisch-proph. Theol.* etc., hujusque Cens. in *Jaarb. v. wet. Theol.*, II. 169-202.

1) De historiae Israëliticae usu in hac ep. cf. Diarium Rudelb. et Guor., ubi Rudelbachius, l. l., in Disp. de Inspiratione p. 29 egregie de Cap. XI monet: »Der grosse Gedanke wird hier ausgeführt, dass die ganze Geschichte »Israels wesentlich eine Glaubensgeschichte sey, eine Geschichte der Gäste »und Fremdlinge auf Erden, deren die Welt nicht werth war.«

tem prolaberentur, deinde de iis, quibus eos ad fidem pietatemque adhortatur, exponemus.

I. Ad prius genus eas jam referre liceret admonitiones, quae II: 2, 3. X: 28, 29, et XII: 25 inveniuntur, derivatae ex poenis, legem Mosaicam transgredientibus impositis; sed vel sic tamen, cum minus definita sint specimina historica, potius de *Israëuitarum* in deserto commorantium (III et IV), ESAVIQUE exemplo (XII: 16, 17), ceteris omissis, videbimus.

A. Quod attinet igitur ad *Israëuitarum* agendi rationem, brevis ratiocinationis, quâ scriptor utitur, expositio, additis paucis quibusdam de modo, quo res in facto positas in suos usus adhibeat, animadversionibus, pro nostro proposito sufficiat.

Quo majore in periculo versarentur Christiani, ad quos suam epistolam noster scripserit, ne desciscerent a Deo vivente (s. 12; coll. X: 22, 25), eo acrius eos adhortatur, patrumque ἀπιστίαν iis exprobrat, qui, licet tot experimentis edocti, vel sic tamen inobedientiae poenas luerant, quippe a terrae *Canaäniticae* ingressu exclusi. Ita scilicet Christianis, licet multa divinae gratiae documenta jam gustassent, non existimandum erat, se certo certius coelestis beatitudinis possessione destitui non posse. Quibus commonefacti locum ex DAVIDE citatum c. IV exornare incipit, multaque de *Dei requie* praeclara monet. Ante omnia objectionem solvit, quâ etiamnum de Dei requie, quae credentibus relinquebatur, sermo esse posset, cum discrete esset dictum, Deum septimo jam post mundum conditum die ab omnibus suis operibus requiescisse (s. 3, 4). Scilicet discrete indicat, Deum, etsi ipse post creationem peractam continuo et sempiternum quieverat, decrevisse tamen homines hujus quietis participes reddere, ut eadem, quâ Deus, ratione a suis operibus requiescerent. Qui, cum ultimus hominis creati finis esset dicendus, peccato non eum in modum irritus erat factus, quin quies ad-

huc relicta esset, quam unaquaque patefactionis periodo de-  
nuo iis offerret Deus. Sola ἀπιστία arcet; solâ fide patet  
ingressus. Quod majorem etiam vim habet, quandoquidem  
terrestris *Canâinis* possessio arctissime cum aeternae quietis  
promisso erat conjuncta; ita ut altera alterius esset pignus.  
Patrum ἀπιστία quum vacuum et desertam possessionem reli-  
querit, filii renovari promissionem dicit scriptor, ut hi ob-  
tineant, quod ab illis fuerat neglectum.

Psalmum XCV, a quo tota proficiscitur argumentatio, a  
scriptore DAVIDE esse tributum, diserte IV: 7 illud ipso indi-  
cante, nemo infitias ire potest<sup>1)</sup>; attamen et hîc πνεῦμα  
ἁγίου, tamquam auctor primarius, citatur, quod, recte mo-  
nente CALVINO<sup>2)</sup>, longe plus ad afficiendos animos valet, quam  
si DAVIDEM nomine citasset.

Minime tamen nonnullis<sup>3)</sup> concedimus, scriptorem hunc  
Psalmum primo loco ad *Messiam* retulisse; nam multo vero-  
similius nobis videtur causa, cur eum, non vero Deut.  
I: 34 citet, in eo quaerenda, quod ibi jam expressam inve-  
niret notionem, variis temporibus rursus quietem relictum  
iri (IV: 7). Ita enim sponte patebat, idem jam cogitasse  
DAVIDEM, vel potius Spiritum s. per illum, cum suos aequales  
popularesque eâdem ratione adhortatus fuisset; quod quantum  
valeat ad scriptoris sententiam confirmandam, quis non videt?  
Hoc enim scriptor indicare volebat, tempus illud, *hodie* vo-  
catum, itidem recurrere; nam, licet omni suâ vi de *Messiano*  
tempore valeret, vel sic tamen jam antea tempus illud gratiae  
affuit, quod in Psalmo citato recte statuerat DAVIDES. Summa  
igitur totius ejus ratiocinationis huc redit: relinqui populo  
Dei spiritualement quendam *requiem*, ad quam nos quotidie  
Deus invitet.

1) Neque a Bleekio ad h. l. hoc negatur, licet hunc psalmum a Davide  
esse profectum ipse neget. 2) In *Comm.* ad III: 7. 3) Hanc sententiam  
inter alios proponit Bleekius ad h. l., sed argumenta, quae affert, leviora  
nobis videntur.



Dignum praeterea est observatu, qui *historica* q. d. parallela atque *typica* ipsius menti coalescere videantur. *Israelitae* non credunt; idcirco *Canaänem* ingredi iis denegatur. Ecce *historicam* admonitionem. Simul tamen amissa illa requies imago atque typus habetur sublimioris, quae Christianis promittitur, quietis. Ecce *typicam* rationem. Hinc in primis explicanda est magna illa difficultas varias hasce notiones ubivis discernendi; quod interdum ne fieri quidem possit, cum nec in mente scriptoris libera hominum actio Deique consilium anxie fuerint distincta. Ne vero quis putet, scriptorem hac in re arbitrarie esse versatum; nam Israelitis eadem, quae Christianis, promiserat Deus; modus tantum et gradus diversi erant. Quid enim discriminis inter utrorumque fidem vel ἀπιστίαν intercedebat? Imo vero per idem fere 40 annorum spatium divinae gratiae atque majestatis documenta utrique contemplari potuerant (III: 9) <sup>1)</sup>. Quam apta et efficax haec adhortatio dicenda est <sup>2)</sup>! Hac enim ratione s. 11 monere potuit: *Studeamus ut in quietem illam ingrediamur, ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας*. Christiani postremis illis diebus vivebant, quibus omnia illa implebantur, quae anterioribus temporibus in Dei regno evenerant. Quodcumque promissum jam ad exitum perducitur; quodcumque externum beneficium ad internum idque aeternum typice spectans jam conceditur. At simul jam poenarum, sub V. T. infligatarum, exemplar quodcumque considerari potest, tamquam typus gravioris illius poenae, quâ postremae aetatis impii infligabuntur.

B. Capite XII, ne quis gratiae dona parvi faciat, ESAVI exemplum allatum invenimus. Πόρνος vocatur ESAVUS, s. 16, tamquam *idololatriae fovens*, metaphorico sensu, qui foedus cum Deo ininitum, et matrimonii instar habendum, transgressus

1) V. Bleekius ad h. l. — Illud *hodie* vocabatur μέχρι τέλους, s. 14.

2) Quatenus h. l. magis κατὰ διανοίαν, quam κατὰ ἔργα argumentatus sit scriptor, vid. apud Thol. in *Comm.* ad h. l.

fuit <sup>1)</sup>, atque βέβηλος, *profanus*, qui nihil sanctum habet, sanctissimumque negligit. Jam quo jure *ESAVUS* sic dici possit, vide. Nonne sacrarum rerum erat contentor, qui pluris edulium unum, quam primogenituram suam fecisset, quâcum tamen tot tantaeque benedictiones atque privilegia essent conjuncta? — Postea quidem eum poenituit lacrimasque effudit; at poenae, non culpae fuit poenitentia. Ideirco ejus locum non invenit, nihil profecit vel consecutus est serâ suâ poenentiâ, etsi cum lacrimis quaereret benedictionem, quam suâ culpâ amiserat <sup>2)</sup>. Scilicet in hac epistolâ eadem, quae apud *MOSEM* (Gen. XXVII: 33-40) invenitur causa, cur *ISAËCUS*, moderante Deo, ob primogenituram ab *ESAVO* contemtâ, se invito, *JACOBO* benedixerit.

Cum illo Christiani recte comparari possent, qui illustria Evangelii privilegia parvi ducentes, ad Judaismum revertere cuperent; quae comparatio tum in primis vim habere nobis videbitur, cum attenderimus, ex genere Theocratico ortum primariam primogeniturae fuisse benedictionem. Ne igitur deficerent, ipsos adhortatur scriptor; nam temere agentes veluti *ESAVUS*, suam felicitatem suâ ipsorum culpâ amissuri essent, poenitentiâque locum frustra quaesituri. Tertium comparationis hic in primis animadvertentibus persuasum nobis erit, luculentius exemplum a scriptore non facile adduci potuisse. Equid efficacius cogitari possit *Judaeis* commoendis, *ESAVUM* pro reprobato habentibus?

II. *Secundo loco* exempla adducturis, quibus Christianos

1) Quae interpretatio magnum habet praesidium in contextu; nam proxime praecedente sectione Deut. XXIX: 18, ubi de idololatriâ sermo est, laudatur. Alia argumenta vidd. apud *Kuinoelium* ad h. l. Contra *Bleekius* h. vocem propriâ suâ vi accipit, neque ad *Esavum* referri jubet; cujus vero argumenta minus gravia videntur.

2) Contra *Tholuecium*, qui cum *Kuinoelio* aliisque haec verba ad *Isaacum* refert, cf. omnino *Bleekius* ad h. l. — De dogmaticâ hujus loci ratione cf. *Thol.* et *Calvinus* ad h. l.

ad fidem atque perseverantiam adhortatus est scriptor, jam statim

A. ABRAHAMI exemplum nobis occurrit, VI: 13-15; cujus πίστις ac ὑπομόνη laudantur et tamquam exemplaria proponuntur. Hac in admonitione ita versatur noster, ut Gen. XXII: 16, 17 fundamenti instar ponat, ubi promissiones ABRAHAMO concessas jurejurando confirmat Deus. Primo obtutu mirum videri posset, ejusmodi jusjurandum, ABRAHAMO datum, Christianis ut fidei speique fulcrum proponi; si vero quae antea observavimus hinc in memoriam revocemus, omnia plana fiunt. Scilicet hoc promissum, primo quidem loco de numerosâ ABRAHAMI progenie, quoad carnem (XI: 12) est accipiendum, dein vero de spirituali prole, cujus pater ABRAHAMUS fuit et antesignanus, rite explicari potuit. Quod si tenemus, simul nobis patet, quomodo fides Christianorum et ABRAHAMI, si ejus indolem spectes, atque universe omnium sub V. T. viventium piorum, una eademque habenda sit.

B. Hujus rei veritas tum praesertim nobis apparet, cum longam illam heroum, qui a fide laudantur, seriem intuemur, quae c. XI exhibetur, atque XII: 1 eo consilio proponitur, ut unusquisque ad eorum imitationem adducatur. Quae sanctorum exempla quomodo sint consideranda, jam apparet e laud. Hab. II: 4 loco, qui occurrit X: 38, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. Majorem enim vim atque efficacitatem in Christianorum animis haberent necesse erat, ubi veterum fidem, quoad ejus indolem et objectum, cum Christianâ plane congruere viderent<sup>1)</sup>. Unde etiam explicandum videtur, cur scriptor in his exemplis afferendis mere historica atque typica saepius non ita anxie discernat. Cujus consequens est, eandem de V. T. historiâ hinc obtinere sententiam, quam antea

1) In notionem vocis πίστις ex scriptoris mente infra inquiremus; de qua re cf. in primis doct. P. J. L. Huët, *Diss. de antiquissimorum Dei cultorum, qui in epistola ad Heb. c. XI memorantur, fide diversâ eademque unâ*, Lugd. 1824.



jam invenimus, harmoniam scilicet atque unitatem inter utrumque; sub priore etiam Foedere multi crediderunt *εἰς περιποίησιν ψυχῆς* (X: 39).

De omnibus his exemplis seorsim agere longum est, neque ad nostrum propositum requiritur. Duas potius quaestiones solvere conabimur, quo magis in mentem scriptoris nos insinuemus; quarum altera haec est: quanam de *Messia* atque vitâ aeternâ notiones V. T. piis tribuerit scriptor? altera: quomodo *SARA*, *RACHAB*, *SIMSONUS*, alii, in hoc sanctorum catalogo ab eo recenseri potuerint?

Quod ad *priorem* attinet quaestionem: ab utraque parte plerumque nimii fuerunt interpretes, quorum alii iis omnem spiritualium rerum cognitionem abnegarunt, alii vero easdem fere claras atque Christianis, iis tribuerunt notiones. Quâ de re ut aequum feramus iudicium, praeceteris nobis est observandus locus, s. 8-10 et 13-16, quo scriptoris ratiocinatio huc redit: Quum *ABRAHAMUS*, domo paternâ relictâ, vitam nomadicam in *Canaïne* ageret, aeque minus ac *ISAÛCUS* et *JACOBUS*, qui eandem vitae rationem sunt secuti, neque suo genio, aut consuetudine, neque necessitudine ductus fuit (cf. Gen. XXIII); sed firmiter promissioni fidem habuit, scilicet Deum ipsi largituros esse numerosam posteritatem, quae possessura esset *Canaïnem*, omnesque per eam gentes se felices praedicaturas esse. Quae fides, licet per se spectata ad mere terrestrem expectationem referri posset, duobus tamen nominibus non tam hujus, quam coelestis vitae beatitudinis spem arguere dicenda est. Etenim ipsi jam promissioni de omnibus terrae gentibus in eo beandis, sublimius quid inerat, quod, licet Patriarcham adhuc lateret modus, coelestem beatitudinem, quâ omnes gentes essent gavisurae, vaticinabatur. Praeterea, etsi ipsis eorumque semini (Gen. XVII: 8. XXVI: 3. XXVIII: 13) terrae *Cananaeae* possessio erat promissa, vel sic tamen ipsis viventibus impleta non fuit promissio, ita ut oraculum divinum eventu carere videretur

(Gen. XV: 13 sqq.). Hunc nodum solvere, utrumque in concordiam redigere non nisi fides poterat, quae terrestrem *Canāin*em pignus habuit typumque illustrioris, coelestis aeternaeque patriae, cujus spe jam tenebantur Patriarchae. Quocirca eorum professio, *sese peregrinos atque hospites in haec terra versari* (Gen. XXIII: 4. XXVIII: 4. XLVII: 9), minime est explicanda per haec: „vitam agebant nomadicam”; sed: „fide praestantiorē expectabant patriam in coelis,” ita ut a Patriarcharum inde temporibus terrestri *Canāin* imago esset melioris patriae. Neque *Chaldaea* et *Mesopotamia* haec, quam quaerebant, erat patria; nam si hanc desiderassent, revertendi tempus quum adesset, facile eo redire potuissent; ast vero in illam regionem non reversi sunt, ergo non terrenam, sed coelestem patriam desiderabant. Ex totā scriptoris ratiocinatione luce clarius patet, eum satis definitas rerum futurarum divinarumque Patriarchis adscripsisse notiones; at simul tamen, *μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας*, quarum centrum erat *Messias* regnumque Ejus futurum, *οἰκουμένη μελλοῦσα* (II: 5), e longinquo eas viderunt (s. 13, coll. s. 39); aliquid illius praestantiae praesagierunt atque divinarunt <sup>1)</sup>. Sed aliud adhuc hisce scriptor adjungit argumentum, depromptum illud e Dei denominatione, tamquam Dei ABRAHAMI, ISAÏCI et JACOBI; atque huc rediens: Quia meliorem hujusmodi expectationem foverunt Patriarchae, ut fide aeternam jam vitam possederint, adeoque immortales fuerint, idcirco Deum non puduit Deum eorum appellari; sed contra singulari favore et gratiā eos prosecutus est (cf. Luc. XX: 37, 38). — Quatenus vero huic scriptoris sententiae objectiva q. d. veritas

1) Recte J. Schlichtingius, in ejus *Comm.* ad s. 16 (quem edidit Rak. 1634) jam animadvertit: »Exprimit divinus auctor ex suo sensu, divini quippe gnarus consilii, quae sit ista melior patria, quam illi expetiverint — sufficit, quod hic futurus sit expectationis illorum et desiderii ex Dei decreto, qui etiam mystico et occulto sensu hanc patriam illis promisit, »eventus.” Cf. Thol. in *Comm.* ad h. l.



inesse dicenda sit, hoc eo minus a nobis investigandum videtur, quoniam in scriptoris tantum mentem inquirere nostrum fert propositum 1). — Quin scriptor, qui ΗΕΒΡΑΙΩΤΩΝ vivum esse in coelum translatum, quo Deus suum favorem erga eum declararet, diserte contendit (s. 5 et 6), quique ubi vis in V. T. vivum Dei Spiritum operantem agnoscit, doctrinam de vitâ post mortem futurâ apud pios Israëlitas jam viginisse statuerit, non facile quis addubitare posset. Quod si statuamus, quid mirum, si hujus doctrinae vestigia tum in locis ab ipso laudatis, tum in Patriarcharum agendi ratione sibi invenire visus sit? Quin quaerere licet, quomodo postea *Maccabaeorum* temporibus tam immanes persecutiones perpesionesque aequo et constanti animo perferre potuissent *Judaei* (veluti s. 35 memorantur), nisi melioris resurrectionis (κρείττονος ἀναστάσεως) spes eos sustinisset viresque iis addidisset 2).

Verba quae s. 26 leguntur, ΜΟΣΕΜ τὸν ἀνείδισμὸν τοῦ Χριστοῦ pluris existimasse, quam omnes *Aegyptiacas* opes, nonnulli ita interpretantur, ac si iis tectius indicasset scriptor, claras de *Messid* notiones se mosi jam tribuisse. At vero, licet vocem Χριστὸς hic minime synonymum habeamus τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, cui sententiae repugnat XIII:13, aequè minus nobis placet eorum ratio, qui verba explicanda cen-

1) De immortalitatis doctrinâ sub V. T. jam notâ vidd. ea quae hac de re scripserunt Thol. *Beil.* p. 34 sq., et Hengst. *Pentat.* II. p. 570 sqq. — Cf. porro W. C. L. Ziegler, *Kurze Geschichts-Entwicklung d. Lehre v. d. Auferstehung unter d. Hebräern*; in Henkii *Magaz.* V. 1 sqq.; M. Süßkind, *Hatte Moses Glauben an die Unsterblichkeit?* in *diario Stud. und Krit.* 1820. IV. 884. alios, in his doct. H. H. Kemink, *De denkbeelden der Schrijvers van het O. T. uangaande het lot des menschen na zijnen dood*, in *Jaarbb. voor Wetensch. Theologie*, IV. 1. p. 67-173.

2) Bleekius ad h. l.: »Wean es hier heisst: einer besseren Auferstehung, » so ist das sonder Zweifel gemeint: einer noch besseren, als der zum Fortleben auf dieser Erde, deren die vom Elias und Elisa erweckten Kinder » theilhaftig geworden waren.«



scant: propter Messiam contumelias pertulit; quia adventum Messiae praevidebat 1). Simplicissima nobis praeferenda videtur explicatio de contumeliâ simili ei, quam Christus perpessus est, = ὡς ὁ Χριστός. Quatenus enim MOSES Dei regniue Ejus causâ proba perpeſsionesque pertulit, eatenus haec ejusdem indolis erant ac CHRISTI contumelia, hujusque exemplum dicenda 2). Altera saltem interpretatio non satis certo fundamento niti nobis quidem videtur.

Ad secundam quaestionem, a nobis propositam: quo jure in hoc sanctorum catalogo ridens SARA, meretrix RACHAB, atque ferox SIMSONUS (ne alios recitemus) locum suum occupent, respondemus, ante omnia de rectâ fidei definitione in hac epistolâ constare nobis debere. Nam fidei, minime vero aliarum rerum ratione habitâ, tamquam exempla in hac serie occurrentes proponuntur. Etenim, licet vera fidei natura immutabilis sit, vel sic tamen ét ex contextûs ratione, ét ex scriptoris consilio, ét e descriptione, quae s. l. occurrit, luculenter patet, latiori significato hoc vocabulum sumi de fide, sub miseriis atque molestiis adhibendâ, ita ut firma et stabilis sit persuasio, quae constantiam atque patientiam pariat. In primis autem spectatur fides, habitâ ratione divinarum promissionum atque minarum; qualis fides atque exspectatio obscurissimis etiam temporibus, prouti *Judicum* e. g., locum habuit. Ubi cumque enim firmam in Deo adjuturo repositam fiduciam atque exspectationem lactam rerum futurarum et invisibilium cernimus. Cognitio quidem erat tenuis, et debilis spiritualium rerum sensus, at fides hîc memorata neque umquam periit, et sublimius quid in homine indicabat. In formis etiam maxime rudibus atque exiguis illius fiduciae

1) Sic Gerhardus, D. Heinsius, Wolfius, Carpzovius, Vaterus, Böhmius, Kuinoelius, alii.

2) Hanc interpretationem ex antiquioribus jam secuti sunt Theodoretus et Chrysostomus, e recentioribus Storrius, Huetus, Tholuckius et Bleckius.

germen adspicere nobis licet, quum sub V. jam T. magna illa veritas esset nota atque re ipsâ patefacta: *χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται* (XI: 6. X: 38). Primo quidem obtutu nonnullorum in hoc catalogo commemoratio molestiam nobis creare potest; sed laudato assumpto principio, eoque singulis locis applicato, non amplius admirabimur scriptoris agendi rationem. Namque eum fiduciae erga Deum *exercitationem*, non vero *universam* eorum agendi rationem spectasse videmus. Quâ autem cunque ratione hi ceteroquin egerint, singulis tamen hisce factis fidem ostenderunt, ac si Deum haud adspectabilem cernerent; fortes se praestiterunt, quippe Deo invisibili fidem habentes.

At dicat forte quis: quomodo potuit SARAE fides laudari, quae Gen. XVIII: 13, auditâ promissione, se anno proxime sequenti filium habituram, risisse ac promissioni divinae fidem denegasse perhibetur? Nonnulli quidem <sup>1)</sup> pro αὐτῇ Σάρρα legendum esse censuerunt αὐτῇ Σάρρα, ut ἔλαβε cum remotiori Ἀβραὰμ construat, atque adeo ABRAHAMI fides laudetur. Quae tamen conjectura magis ingeniosa, quam vera esse videtur, atque propterea tantum prolata, quod SARA describitur potius incredula. Sed praeterea, nonne eadem de ABRAHAMO dicuntur, Gen. XVII: 17? Eorum igitur interpretatio praefenda videtur, qui statuunt, SARAM initio quidem non credidisse, sed a *Jehová* ob risum reprehensam, re accuratius consideratâ, fidem promisso habuisse. Nebulae instar evanescentis ejus ἀπιστία est habenda; nam admonita πιστὸν ἠγάπησεν τὸν ἐπαγγειλάμενον, licet magna atque admirabilis res ipsi videretur. Quae si ita sint, quid mirum ABRAHAMI quoque uxorem in hac piorum serie enumeratam inveniri <sup>2)</sup>?

1) Hanc sententiam proposuerunt Michaelis, Storrius, Hänleinus, in Diss. inser. *Examini curarum criticar. atque exeg. Gilberti Wakefield in libros N. T., part. I., Eel. 1798. 4. p. 16;* contra quos cff. Kuinoelius, Bleekius et Steinus.

2) Calv. ad h. l.: » Fatendum est, diffidentia mixtam fuisse ejus fidem; sed

Minorem molestiam nobis creant isaïct et jacobî benedictiones, tamquam fidei actiones propositae. Scriptor enim putabat, eorum moribundorum preces faustas et diras certissimum habuisse eventum. Ne igitur inania vota illas habeamus; sed Dei nomine exhibitas, a viris Spiritu Ejus afflatis, vaticinationes. Erat cognitio futurorum prophetica, quâ suorum posterorum fata praedicere valebant. Cujus consequens est hoc, quod fide duntaxat illud facere potuerint Patriarchae. Quis enim est, qui parvi ducat eorum fiduciam, qui, minimam duntaxat agri partem possidentes, talia ut certo eventura praenuntiaverint? Num aliter fieri potuit, quin talem expectationem fidei tribuerit scriptor?

Nullum autem exemplum, primo adpectu minus illustre esse videtur, quam RACHABAE meretricis. Exstiterunt quidem interpretes <sup>1)</sup> qui, ut omnem vitae inhonestae maculam abstergerent, vocem רַחַבָּה per *hospitam, quae couponariam exercet*, vertant, sed temere sic statuuisse videntur <sup>2)</sup>, neque a consuetâ significatione recedendum esse censemus. Quid enim vetat, quominus RACHABA ita vocetur a vitâ ante actâ <sup>3)</sup>? Quidquid est, illius fidei magnitudo, modo definitionem propositam atque a scriptore indicatam rite teneamus, luce clarius nobis apparet e collatis Jos. II, sectt. 10, 11; ubi ad verbum fere eadem profiteri dicitur, quae, prouti ex Deut. IV: 39 colligi potest, fidei *Israëliticae* erat nota veluti

» quoniam monita diffidentiam suam corrigit, nihilominus agnoscitur a Deo,  
 » et laudatur ejus fides. Quod ergo initio rejicit quasi incredibile, simulat-  
 » que audit ex ore Dei profectum, obedienter recipit. Atque hinc utilem do-  
 » etrinam colligimus, quod etiam, si quâ in parte vacillet aut claudicat fides  
 » nostra, non desinit probari Deo, modo ne diffidentiae nostrae indulgeamus.»  
 Recte Baumgartenus, C. F. Schmidius, Heinrichsius, Dindorfius  
 et Bleekius animadverterunt, epistolae scriptorem significanter scripsisse  
 καὶ αὐτὴν hoc sensu: *ipsa adeo Sara antea tam diffidens.*

1) Prouti Cappellus, Valckenaerius, Heinrichsius, alii.

2) Argumenta afferunt prae ceteris Kuinoelius et Bleekius ad h. l. in ann.

3) Loca parallela exstant Matth. X: 3. XXVI: 6, alia.



characteristica, unius scilicet ejusdemque veri *Jehovae* confessio. Quae si tenemus, ne dubitare quidem possumus, quin re verâ *Israëlitica* sit dicenda quoad spiritum, filiaque ABRAHAMAE fidei ratione habitâ, quae ob praestitam *Israëliitarum* speculatoribus amicitiam proditae patriae minime est accusanda; illudque eo etiam confirmatur, quod ex Jos: VI: 25 ad *Israëliitarum* coetum rite transgressa esse memoretur 1). Quod ipsum nos adjuvare potest, ad scriptoris mentem eruendam, animadvertentes quomodo, *Hebraeos* ut doceret Christianos, ipse jam in V. T. hanc veritatem patefactam agnosceret, eos in societatem piorum adoptari, qui inter profanos et reprobos recensentur, atque re verâ comperiret, Deum ad personam non respicere, sed in unaquaque gente pium Ipsius et justitiae cultorem gratum Ei esse et acceptum (Act. X: 35).

Quod denique SIMSONEM aliosque s. 32 memoratos *Israëliitarum* Judices attinet, nonne et ille, fide Deo habitâ, insignia quaeque peregit? Quocirca, cum *Naziraeorum* legem, quâ Deo erat sacratus, violavisset suamque cum Deo necessitudinem solvisset, fiduciâ in Deo positâ eum relinquente, vis quâ gaudebat, cum deseruit. Quo facto in vulgi coetum recedens, ipso testante, „infirmus reddebatur, et erat sicut „ alius quisque homo (Jud. XVI: 11) 2).”

Haec jam sufficiant de fidei exemplis, a scriptore laudatis; ex quibus satis nobis patere potest, quâ ipse de sui populi historiâ senserit, illamque suum in usum adhibuerit. Minutissimae quaeque res, veluti adorasse JACOBUM ἐπὶ τὸ ἕκρον

1) Cf. omnino Niemeyerus, *Charakteristik der Bibel*, III, p. 286 sq.

2) Recte Kuinoelius ad h. l.: » Ceterum observatum est ab interpretibus, hos viros, dotibus eximiis ad servandam Judaeorum remp. instructos, » epistolae conditore non sanctis hominibus accensuisse, sed collaudasse » tantum eorum fidem heroicam, reliquâ eorum vitâ prorsus neglectâ. Quod » jam observavit Chrysostomus ad h. l. cujus verba sunt: ὁρᾷς ὅτι οὐχὶ » βίον ἐνταῦθα αὐτοῖς μαρτυρεῖ λαμπρόν· αὐτὸς γὰρ τοῦτο προηγουμένως ἦν τὸ » ζητούμενον, ἀλλὰ πίστως τέως ἐξέτασις ἦν.”

τῆς ῥάβδου αὐτοῦ (s. 21)<sup>1)</sup>, moſem puerulum formae elegantia excelluisse (s. 23), ut alia omittamus, licet magni ei sint momenti: vel sic tamen neque horum litterae inhaeret et externae speciei, sed actionis principium perscrutatur, quod nullum aliud esse debet nisi fides fiduciaque in Deo reposita, quae sola omnium bonorum fons est atque origo. Vetus enim Testamentum arctissime cum Evangelio cohaerens, ab hoc ne in historia quidem divelli posse statuit, cum divinam patefactionem in utroque agnoscens, prius veluti fundamentum typumque haberet posterioris. Cujus inter utrumque harmoniae, atque simul diversae, in utroque conspicuae, explicandi viae, in fine hujus capituli (XI: 39, 40) gravissimum invenimus indicium, ad quem, anteaquam secundo huic capiti finis imponatur, brevi est attendendum.

Hi omnes, quorum fides celebratur, licet fide testimonium obtinuerint (s. 2), quod placuerint Deo, nondum assecuti sunt τὴν ἐπαγγελίαν. Per quod evangelium sine dubio illa indicatur promissio, quae spectat postremos dies, futurum aevum, quo, christi adventu, aditus ad Deum in Sancto sanctorum unicuique pateret, atque adeo simul aeternam beatitudinem in eo obtinendam. Christiani enim diserte dicuntur eum jam consecuti esse; meliorque vocatur iis data promissio (cf. I: 1. III: 5, 6. VII: 18, 19. X: 1, 14, 19). Si autem quaerimus, cur Deus hoc ita constituerit, responsum in promptu est, scilicet *ne sine nobis perficerentur* (τελειωθῶσι), i. e. ad perfectionem pervenirent. Hoc enim *objectivo* q. d. sensu fieri non potuit ex mente scriptoris, nisi per christum mortuum atque resurrectum; quae anteaquam obtinuissent, *τελειωσις* non affuit, cum demum *per nos*, sub Evangelio viventes, ad exitum perducta sit promissio. Antea quidem hoc jam fieri potuisset, modo christus prius mortuus

1) De varia lectione apud Sept. et in Cod. Hebr. cf. interpretes ad h. l.; in primis quae monet Calvinus ad h. l. digna sunt quae legantur.



esset; cum quâ morte et ejus reditus, et piorum τελειῶσις ex scriptoris mente arcissime cohaerebant; sed divina sic constituerat sapientia, ut prae illis *melius* quid haberent, adventum scilicet CHRISTI atque mox eventuram perfectionem (X: 36 sqq.)<sup>1)</sup>. Conferri hic meretur locus X: 14, ubi discrete dicitur CHRISTUS unâ oblatione in perpetuum consecrasset (τετελειώκεν) eos, qui sancti redduntur; unde patet, scriptorem statuisse a parte CHRISTI demum morte et sacrificio omnibus, qui ei fidem habeant, τελειῶσιν esse factam; ita ut Christianis duntaxat curae esse debeat fide constanti κομιζέσθαι τὴν ἐπαγγελίαν. Eodem quidem modo ex XII: 23, ubi de πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων mentio fit, sequitur, CHRISTO fidem habentes post mortem saltem statim ad majorem perfectionem adduci<sup>2)</sup>: sed vel sic tamen JESU redeunte, utriusque Foederis fideles in unum CHRISTI corpus coalescentes, ad illam demum τελειῶσιν adducuntur, cum simul tamquam ecclesia justorum perfectorum coram Deo constituantur, Dominique gloriae participes fient; legimus enim *sine nobis*, non vero *sine CHRISTO*<sup>3)</sup>.

Scriptoris igitur sententia prorsus diversa fuit ab eorum cogitandi ratione, qui V. inter Novumque T. ita distinguunt, ut ea sibi invicem opponant, contendantque peccatorum remissionem atque aeternam vitam sub priori plane ignotas fuisse; sed ab alterâ parte neque illorum secutus est rationem, qui perfectas harum rerum notiones sub V. F. viventibus tribuere haud reformident. Neutra ejus fuit sententia; namque horum cogitandi ratio ex ipsius mente adhuc imperfecta atque debilis fuit; gratiae divinae donorum imaginibus vaticinationibusque

1) Cf. Bleekius, III, 445 et II, 298. Minus recte Tholuckius ad h. l. veteres ante Christum τελειῶσιν jam assecutos esse a scriptore indicari putat.

2) V. Bleekius ad h. l., III, 847.

3) Cf. de difficillimo h. l. P. C. Hilnerus, de incremento cognitionis fidelium V. T. post consummatum opus redemptionis ex Heb. XI: 39, 40; et Thoden v. Velzen, l. l. 61, 110.



tantum gaudebant. Quae observatio sponte nos ducit ad Caput tertium, quo scriptoris de *Israëliitarum* institutione theocraticâ sententiam indagare nobis proposuimus.

### CAPUT III.

#### QUA RATIONE DE V. T. SACRIS STATUAT.

Gravis in primis est dicenda disquisitio, quae tertio hoc Capite instituenda nobis est, quippe quae arctissime cohaereat cum iis, quae de CHRISTI munere in hac epistolâ inveniuntur, quocirca huic in primis nostrae disputationis parti opera navanda videtur<sup>1)</sup>. Ut vero rite progrediamur, hic nobis optimus, quem sequamur, disputandi ordo visus est, quo primum inquiramus, quid scriptor de *Mosaicae* institutionis origine statuerit, quidque praesertim in hisce primo loco habuerit; deinde quo sensu hisce sacris vim tribuerit; denique quid Dei fuerit in constituendis iis consilium, nominatim futuri aevi ratione habitâ.

1) Quo difficilior haec disquisitio erat, eo magis gratus et acceptus mihi fuit usus duarum hac de re *Dissertl.*, a doct. A. Rutgers van der Loeff conscriptarum, quae inveniuntur in diario *Waarheid in Liefde*, 1839, quarum altera, p. 87-132, inscribitur: *Over de bedoeling, kracht en uitwerking der door Mozes ingestelde offers*; — altera, p. 229-288: *Over het verschil tusschen de Moz. offeranden en het offer door Jezus gebracht, volgens den Schrijver van den Brief aan de Hebr.* Conspectum egregium mihi praebebant, quod palam profiteri lubet; licet in multis me a Viro doct. recedere sequentia, qualiacumque tandem, docebunt. Deinceps etsi post absolutam fere hanc scriptionem, mihi sub oculis venerunt eximia hac de re scripta J. H. Kurtzii, *Das Mos. Opfer*, Mit. 1842; J. da Costa, *Voortl. over het O. T. II.* p. 202 sqq.; B. J. L. de Geer, *het Isr. offer*, in diario *Jaarb. voor wet. Theol. II.* 100-144, et J. J. Doedes, *de verzoening der zonden volg. het O. en N. T.*, eidem diario insert. III. 1 sqq. In quibus scriptis multa leguntur, quae a nobis minus perspicue sunt exposita: unde benevolum lectorem rogamus, ut ea etiam adeat. Contra conferri possunt J. F. van Oordt, *een woord over verz. d. z. volg. het O. T.*, in *W. in L.* 1846, p. 507-546; et G. A. Middolberg, *iets over de beteekenis van het zoenoffer onder Israël*, in *Jaarb. v. wet. theol. IV.* 18-66.

## § 1.

*Cultus Mosaicus a Deo institutus.*

I. Sponte patet, hinc non universe esse inquirendum in sacrificiorum aliorumque rituum religiosorum originem<sup>1)</sup>; cum nostrum tantum sit ostendere, scriptorem eorum originem a Deo duxisse. Quod de cultu Mosaico facile est probatu, si observamus, qualem MOSEM, per quem V. T. mediatorem atque legislatorem omnia essent data, habuerit, quippe qui divina ediderit oracula (XII:25); et fidelis sit ejus, qui constituit ipsum, minister. Qui autem omnia construxit, *Deus* est (III:1-5). Nam MOSES, tabernaculum confecturus, oraculo fuit admonitus, ut faceret omnia secundum effigiem, quae ostensa ei fuit in monte (VIII:5, coll. Ex. XXV:40). Prius etiam Testamentum cultus *divini* statuta habebat (IX:1); minime ab hominibus erat constitutum. A *Deo* vocatus erat AARON atque creatus Sacerdos (V:4). *Divino* jussu foederis obtinebat inauguratio (IX:19, 20); et omnia, quae Sacerdotes peragebant, secundum *legem* fiebant (VIII:3, 4, IX:22).

Minus certo nobis constat quid de priorum sacrificiorum origine statuerit noster, cum nusquam de hisce diserte loquatur. Fortasse ex XI:4, ubi ABELI sacrificium, ut Deo gratissimum, proponit, quod de arbitrario ritu non facile testatus fuisset, suspicari licet, se hinc quoque divinam agnovisse originem; quod et confirmatur observatione, cum ubivis, ne patriarcharum anterioribus temporibus exceptis, prouti

1) Cf. haec de re inter eos, qui divinam originem negant, Eberhardus, *Apologie des Socrates*, II, p. 224 sq., et Ruperti, *Einige Bemerkungen über die Verehrung der Gottheit in den ältesten Zeiten*, quae Disp. edita invenitur in Henkii *Magazin für Religions-philosophie, Exeg. und Kirchengeschichte*, V, 1, p. 48. Contra defenderunt eam G. F. Seilerus, *Ueber den Versöhnungstod J. C.*, p. 245 sqq., et A. Hulshoff, *Kerk. redov.* I, p. 101-166.

e c. XI memoratis exemplis satis patet, divinum intervencum agnovisse, omniaque Deo moderanti tribuere solere.

Praeferea animadvertendum nobis videtur, legem *Mosaicam* in hac epistolâ vocari *sermonem per angelos enuntiatum* (II: 2). Scilicet traditionem secutus est scriptor, cujus vestigia jam invenimus Deut. XXXIII: 2, ubi interpretes *Alexandrini* addiderunt verba: ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἀγγέλοι μετ' αὐτοῦ, (vid. et Ps. LXVIII: 17); quamque noster suum in usum convertit, ut ostenderet, *Christianam* doctrinam *Judaicam* longissime anteponendam esse; siquidem lex per ministros, evangelium per Dominam erat traditum. Quod eo facilius scribere ipse potuit, cum statueret, Deum angelos suos spiritus ignisque flammâs facere (I: 7), quo nihil aliud significatur, nisi Deum tonitrua, procellas, atque universe omnia naturae phaenomena, tam poenarum, quam minarum gratiâ, per suos angelos excitare solere<sup>1)</sup>.

II. Tria in primis in epistolâ considerantur ad divinum hoc institutum spectantia, *Sacrarium* nempe, *Ordo Sacerdotum* atque *Ritus sacrificandi*; quas res cum ultimorum temporum economiâ diserte comparat scriptor.

A. C. IX: 1-5 conspectum instituti *Sanctuarii* nobis tradit scriptor, sicuti obtinebat nosis tempore, atque rem sacram Judaeorum quodammodo laudat. Tabernaculi splendorem describens, satis aperte docet, quemnam sensum *symbolicum* hisce omnibus tribuerit. Erat nimirum veluti Dei inter suum populum habitaculum, coelorum, regni gloriae, imago; recteque dicebatur *tentorium conventus*, ubi suo se populo patefacere solebat Deus. De *atrio* populi non loquitur, quum ei propositum minime fuerit tabernaculi structuram copiose describere, neque diutius in eâ immoratur, quam fert argumenti necessitas. — In *sancto* vero (ἡ πρώτη σκηνή),

1) Cf. Bonnetus, in *Diss. de lege Judaicâ per nuntium traditâ*, insertâ *Biblioth. Haganae*, Class. VI, p. 145; Neander, *Pf.* I. p. 72, ann. et Seyffarthus, I. I. p. 131.



quod coelum referret, lux erat cognitionis, ejus symbolum candelabrum septem lampadibus instructum; porro preces ad Deum fusae, per suffitum expressae, atque piorum Deo accepta opera, quae mensa, in qua panes erant collocati, referret<sup>1)</sup>: quibus omnibus in terrâ, prouti in coelo, coleretur Deus. Aditus autem ad *sanctum sanctorum* (σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων) magno undique oppanso velo erat clausus, quo significaretur, hominibus terrestribus, mortalibus iisdemque peccantibus ad divinae Sanctitatis thronum minime per se patere accessum (X: 20): in quo loco, veluti in luce inaccessâ *Jehová* habitante, arca inveniebatur foederis, legumque tabulae, tamquam foederis, quod Deus cum *Israële* pepigerat, pignus. Huic arcae impositum erat operculum propitiatorium, ut prioris illius foederis peccata essent operta, super quo Dei thronus cernebatur, ejus symbolum erat nubes gloriosa, vecta a *Cherubin*, summae potentiae atque majestatis divinae imaginibus<sup>2)</sup>.

Quatenus haec, quam breviter recensuimus<sup>3)</sup>, significatio-

1) Quaesiverunt interpretes, cur scriptor omiserit altare suffitûs? Quorum varias sententias inter alios recenset Thol. ad h. l. Omnino rejicienda nobis videtur Bleekii sententia, qui, I, p. 581-587, scriptoris de Judaeorum sacrario inscitiae hunc errorem esse adscribendum statuens, inde argumentum contra Paulinam hujus epistolae originem depromsit. At vero de nullo *Judaeo*, quamvis longissime ab *Hierosolymis* remoto, nedum de scriptore, qui, teste hac ipsâ epistolâ, tantam cum V. T. familiaritatem contraxerat, ejusmodi quid statui posse, quisque videt. Quod idem de totâ hæc V. Cl. ratiocinatione dicendum est. Rectius Knineelius ad h. l.: »Scriptoris non fuit » munus, vasa et instrumenta tabernaculi omnia sigillatim et accuratissimè » recensere, salis omnino habuit quaedam adduxisse;» ut ipse s. 5 indicat. Cf. porro Calvinus, Carpzevius et von Gerlach, *das N. T. nach Luthers Uebersetzung*, ad h. l.; quod opus multa bonae frugis continere jure animadvertit ejus censor in *Rheinw. Repert.* 1841. De h. l. quoque scripserunt J. J. Sonneschmid, *de thymiaterio sanctissimo*; J. G. Mich., *de thuribulo alyti*, in *Hasaci Mus. hist.-phil.* II. 1; et Schlichter, *de altari aureo-mysterio*, in *Symb. litt.* II. 3.

2) Cf. Bährus, in libro mox laudando, I, p. 340 sqq.

3) Cf. duo hac de re classica opera, alterum Hengstenbergii, *Die Au-*

nem singularum rerum sacrarum assumerit scriptor, ex hac quidem epistolâ non diserte apparet; sed vel sic tamen affirmare nulli dubitamus, quin talem *symbolicam* explicationem secutus sit, observantes: 1. hoc prorsus cum ipsius temporis opinionibus congruere <sup>1)</sup>); 2. divinum cum esset institutum, arbitrarium illud haberi non facile a scriptore potuisse; 3. *typicum*, quem infra exponemus, sensum, a nostro assumptum, aliquatenus sensum *symbolicum* ponere videri. Quod jam copiosius ostendere, hujus loci non videtur.

B. In Sanctum autem sanctorum solus *Pontifex maximus* uno anni die <sup>2)</sup>), ut sacrae arcae operculum sanguine adspargeret atque sufflitum faceret, quo populum expiaret, intrasse dicitur. Quae causa esse videtur, cur scriptor, quod et optime ipsius consilio congruebat, de summo tantum Sacerdote, in quo totius Sacerdotii idea cernebatur, sermonem fecerit.

Maxime universa, quae voci *Sacerdotis* <sup>3)</sup> subest, notio est conciliationis, quocirca vocabula *μεσίτης* et *ἱερεὺς* in hac epistolâ eâdem fere significatione usurpantur <sup>4)</sup>). Populus

---

*thentie des Pentateuch*, II, p. 613 sqq., alterum K. Bährii, *Symbolik des Mos. Cultus*, II tt. Heidelb. 1837. Prioris vero sententiam in primis hinc sumus secuti.

1) Cf. Thol. in *Comm.* p. 309 sqq.

2) Pontificem die expiationis non *semel* tantum in locum Sanctissimum intrasse docet Lev. XVI: 12-15. Disputatur vero *quoties* hoc fieret; sed verosimile mihi cum Kuinoelio aliisque ab eo citatis videtur statuere, *bis* eum illo die ingressum esse Sanctum sanctorum.

3) Cf. C. C. Tittmannus, *Diss. de notione Sacerdotis in ep. ad Hebr.*, inserta ipsius *Opusc. Theol.*, Lips. 1803, p. 211 sqq.

4) Quo magis nobis constet de *sacerdotis* atque *mediatoris* munerum ex scriptoris mente conjunctione, liceat mihi hinc recitare quae recte observat Rutg. v. d. Loeff, I. I. I, p. 100 sq., in annot.: » Zoo de S. deze ver- » wantschap niet verondersteld had, zou hij dan wel, zoo zonder eenige » nadere verklaring, even als of hierin niets vreemds gelegen ware, beide die » ambten in den éénen persoon en beide offers in de ééne opoffering van » Christus als verbonden voorstellen? — En dit niet alleen, maar wij zien » ook, hoe hij de begrippen dier beide ambten en offers gedurig verwisselt

suae culpae sibi conscius ad Deum accedere ipse non ausit, imo vero deprecatus est, ne Deum ipsum loquentem audire cogeretur; sed per MOSEM mediatorem (XII: 19). Quare constituebantur Sacerdotes, quippe Deum inter et populum mediatore; sed his etiam cum Sanctuarium tantum pateret, immediatus ad Deum aditus, qui uno summo Sacerdote, idque quidem uno anni die, concessus erat, fuit clausus. Ille vero Pontifex maximus die expiationis, suum populum coram Deo repraesentans, ejus expiator habebatur. Antea autem sui ipsius culpam confiteri debebat atque sacrificare, exutis illustribus et magnificis suis vestibus, atque lineo vestimento indutus, cumque in obscurum illud adytum ingrederetur, suffitans nubes ipsum operculum propitiatorium tegebat, „ne moretetur“ (Lev. XVI: 13). Vinculum quasi constituebat purum inter Deum atque *Israëlem* vitium inquinatum 1); donec tempus adveniret, a JEREMIA sub V. T. jam annuntiatum (e. c. Jer. XXXI, a scriptore laud. VIII: 8-12), quo, quum perfectus Pontifex (*μεγὰς ἀρχιερεὺς*), a DAVIDE Ps. CX jam celebratus, conspiceretur, externum illud sacerdotium supervacaneum esset. Cujus Evangelii praestantiam ut summis esseret laudibus, de V. T. Sacerdotibus tam multa disserit scriptor.

---

» en nu eens Christus den Hoogepriester met Mozes den middelaar (III:1),  
 » dan weder Christus, den Middelaar, met de Priesters des O. V. verge-  
 » lijkt (VII: 21-23. IX: 13-15). Ook plaatst hij met het verbondsoffer van  
 » Mozes, de latere offers ter reiniging en vergeving wel eens geheel op ééne  
 » lijn (IX: 20, 22).“

1) Eadem fere monet Schleiermacherus, *Glaubensl.* II, §. 125. 2:  
 » Wenn doch alles Aeußere wenigstens in seinem Ursprunge auf ein Inneres  
 » zurückweist, — so wird wohl die Idee des Hohenpriesters die seyn, dass,  
 » wie dem jüdischen Volke sein eignes Gesamtleben erschien als ein abwech-  
 » selndes sich Annähern an Gott und sich Entfernen von ihm, und es sich  
 » auch in dem Wechsel zwischen den gottesdienstlichen und anderen Zeiten so  
 » darstellte, der Hohepriester derjenige war, welcher zu diesen schwankenden  
 » Bewegungen das Gleichgewicht in sich trug, und wie das Volk immer ver-  
 » unreinigt war, so er der Einzige, der sich als reiner konnte vor Gott dar-  
 » stellen.“ Cf. Thol. *Beil.* p. 82 sq.



C. Prae ceteris autem multus est in V. T. *sacrificandi cultu* commemorando, qui cum universo Mosaico foedere tam arcte conjunctus erat. Ne putetis tamen, de omnibus, quae apud MOISEM occurrunt, sacrificiorum generibus hic esse sermonem; neque enim *holocaustorum* (עֹלָה), neque *sacrificiorum eucharisticorum* (שְׁלֵם), ad quae תּוֹרָה, נָדָר, נִדְבָה atque primitiae referendae sunt, mentionem injicit; sed sacrificia tantum cum *expiatoria*, tum *pro peccatis* (חַטָּאת et אֲשָׁם), inter quae nullum facit discrimen 1), tum vero etiam *foederalia* recenset. Ubique univēse ea denotat, tamquam δῶρα, βυσίως, προσφορὰς (VIII: 3, 4. X: 18. XI: 4); si eos tantum locos excipias, quibus V. T. vaticinia ad verbum laudantur, prouti e. g. X: 6 usu venit. Quod mirandum non est, quandoquidem haec sola sacrificia ad summi Sacerdotis atque Mediatoris munus pertinuisse constat 2).

Nulli quidem dubitare possumus, quin magnum CHRISTI sacrificium cum sacrificio piaculari, nominatim cum eo, quod

1) De utriusque discrimine in legibus Mosaicis variae exstant sententiae, quas recenset Ven. Rinse Koopmans, in ejus Disp.: *Vergelijking der zoenofferhande van Christus met de zoenofferhanden des O. V.*, 1805, a Soc. Teyl. praemio ornata; Vol. XXI, p. 16-19. Cf. Cl. Wettii *Comm. de morte J. C. expiatoria*, Berol. 1813, p. 13 sq. in ann.; Hengstenb., *Pent. II*, p. 214 sqq.; F. H. G. Günther, *Comm. de mortis J. C. sine saluari ac vi sacrificali peculiari*, Gött. 1830, p. 7; Kurtz, l. l. p. 196 sqq., et de Goer, l. l. p. 139 sq.

2) Ritum, qui IX: 13 describitur, ad sacrificia piacularia esse referendum, satis nobis patet ex Num. XIX: 2. Vidd. Outramus, *de Sacrificiis*; R. Koopmans, l. l. p. 25, et prae ceteris Kurtz, in egegiâ Diss. *Ueber die symb. Dignität des in Num. 19 zur Tilgung des Todesunreinigkeit verordneten Ritus*, in *Stud. u. Krit.* III. 1846, p. 629-702. In rubro vaccae colera vitae symbolum cernitur; cujus fertilitas et per seminum sacrificii genus indicator. Cedrinum lignum vitae diuturnitatem, coccus vigorem, hyzopus puritatem denotat. Omnia peculiaris impuritatis characterem referunt; quae causa videtur, cur tamquam mortis culpae lustratio a scriptore h. l. de industria memoretur. Cf. quoque Kurtz, *Mos. O.* p. 302 sqq.

solemni expiationis die a summo Sacerdote pro totius populi peccatis Deo offerebatur, apparet (V: 1-3. X: 1. XIII: 11). Sed non ita facilis quaestio videtur, ad quodnam genus sit referendum sacrificium, quod IX: 19-21 memoratur. Re tamen accuratius perpensâ hoc nobis constat, sacrificium inaugurandi foederis hîc describi; nam, licet de vituli in duas partes, per quas ex adverso humi positas foederati transibant, dissecandi more, qui item obtinebat (Gen. XV: 10. Jerem. XXXIV: 10), hîc nulla mentio injiciatur; vel sic tamen sanguinem in duas partes divisum esse legimus, et nullum foedus omissis sacrificiis pactum fuisse scimus. Jam vero, si sacrificium inaugurationis, quo populus in foedus intraret (ἐγκαίνισιν, s. 18), ad foedus *sanctificaretur*, ipsumque foedus *confirmaretur*, sit habendum, idcirco tamen, etiamsi proprio sensu sacrificium piaculare non sit, omnem ei vim expiatoriam denegare minime licet. Illud: σχεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἕφεσις (s. 22), de hocce in primis sacrificio valebat. Simul vero foedus eo sanciebatur (διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, IX: 17); firmum esse coepit post mortuas victimas 1); et foederati ad foedus firmandum sanguine victimae adspangebantur 2).

Multis igitur nominibus hic foederis inaugurandi ritus cum sacrificio piaculari congruere constat. Quid? quod, magnum expiationis diei sacrificium, quum quoad rei summam plane idem esset, haud immerito vocabatur *repetitum* foederis sacrificium; quippe quo hujus foederis transgressiones denuo

1) Quocumque modo difficillimum hunc locum interpretemur, per νεκρὰ, quatenus ad V. T. referuntur, *victimae* intelligendae sunt. Διαθήκην vero per *testamentum* esse vertendum, IX: 15-17, verosimilius adhuc nobis videtur. Contra per *foedus* interpretantur Sykes, *on the Hebrews*, atque R. Koopmans, l. l. p. 13, qui διαθήκην per *verbondmaker* vertit; cuius interpretationis argumenta vidd. apud Thol. ad h. l.

2) Cf. Spenceus, *de Legg. Hebr. ritualibus*, p. 315.

expiarentur, atque adeo ipsum foedus quasi iterum inauraretur 1).

Et haec quidem de divinâ institutorum *Mosaicorum* origine et indole dicta sunt. Hoc unum addimus, nostrum scriptorem, ex suo instituto nonnulla tantum memorantem, in sacrificandi cultu, sanguinis effusionem atque in Sacrarium inductionem adspersionemque prae ceteris pressisse videri.

§ 2.

*Cultus Mosaicus μὴ δυνάμενος κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα. Ejus vis atque efficacia.*

I. Jam ex eo quod, ex nostri scriptoris mente, a Deo institutus sit cultus Mosaicus, quandam certe eum vim atque efficacitatem illi adscripsisse jure suspicari licet. Attamen accuratius inquirendum est, quamnam ei vim tribuerit, quod prae ceteris ex ipsius comparatione cum aevo futuro nobis efficiendum erit. Sacrificia vero cum primum obtineant locum, de hisce in primis videamus.

A. Sacrificia igitur, quod *primum* observamus, minime *perpetuam* vim habebant, *per tempus* duntaxat valebant. Vetus enim Oeconomia *βεβαία* quidem erat, non vero, prouti Nova, *ἀσάλευτος* (XII:27, 28); ut postea vim et auctoritatem amitteret necesse erat (VIII:13). Lex autem sacrificiis, quae quotannis eadem continue offeruntur, numquam potest eos, qui accedunt, perficere (*τελειῶσαι*). Alioqui offerri desiissent. Repetitae sanctificationis necessitas, quae identidem apud sacrificantes exoriretur, satis arguebat, infirma fuisse haec sacrificia (IX:25. X:1, 2). Quod mirandum non est attendentibus, fuisse illud institutum administratum a mor-

1) Haec omnia copiosius atque egregie exponuntur a R. v. d. Loeff, l. l. I, p. 96-100, cujus verba cum nolim describere, ipsi eum adeant lectores.



talibus, continue se invicem excipientibus Sacerdotibus (VII : 11), qui quotidie stantes ministerio fungerentur, easdemque saepius offerrent victimas (X : 11).

B. *Praeterea*, Levitica sacrificia non nisi ea<sup>1)</sup> peccata tollere valebant, quae ex inscitiâ, non de industriâ commissa essent (Lev. IV : 13, 22. Num. XV : 22 sqq.). Qui vero *elata manu*, proterve et consulto, peccabant, qui idololatriae, Dei nominis blasphemiae, *Sabbathi* violati, caedis aliorumque peccatorum de industriâ commissorum rei erant, expiari non poterant, sed ex *Israëlitarum* coetu excludendi erant (II : 2. X : 26-28)<sup>2)</sup>. Quod indicat scriptor, cum *ἀγνοήματα* memorat, quae a toto populo, per annum perpetrata, die expiationis solemniter ritu expiantur (IX : 7). Nam licet de *ἁμαρτίαις* etiam atque *παρᾶβασέσι* loquatur, sequenti tamen sectione id magis definit summo describendo Sacerdote, quippe qui condlescere possit ignorantibus et errantibus (*ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις*), quum ipse quoque circumdatus sit infirmitate (V : 1, 2). Quod discrimen OECUMENIUS jam animadvertit, scribens: καὶ τῶν τοῦ λαοῦ φησι ἀγνοημάτων· καὶ ἔνθεν τὸ διάφορον δείκνυσιν, ὅτι οἱ μὲν κατὰ νόμον βυσίαι ὑπὲρ ἀγνοημάτων προσεφέροντο, τὰ γὰρ ἐν ἀγνοίᾳ συνεχώρουν ἁμαρτήματα, ἡ δὲ Χριστοῦ βυσία καὶ τὰ ἐν γνώσει. Neque putet quis suo arbitrio hoc fecisse scriptorem, quandoquidem ex lege Mosaicâ, qui *elata manu* peccabant, morte essent afficiendi (Num. XV : 22-31). Magno enim expiationis die ea expiabantur peccata, quae, cum ex errore et inscitiâ perpetrata, a publicâ

1) Etenim non admittendum est discrimen, quod multi ponunt inter peccata *civilia*, quae contra legem ceremonialem q. d. sunt patrata, et *moralia*. Cf. Kurtz, I. I. p. 158-169; et de Geer, I. I. 138.

2) Cf. Seilerus, I. I. p. 148 sqq.; Storrius, II, p. 486; Lotzius, in ejus Disp.: *Over de begrippen, die de Schrijver van den brief aan de Hebr. had aang. het hoogepr. van J. C. ; en derzeiver overeenstemming met de overige Schrijvers van het N. T.*, 1798, a Soc. Hag. auro ornata, p. 19; R. Koopmans, I. I. p. 23-29; et Bleekius ad h. l. Sed vid. contra Kurtz, I. I.

animadversione se subtraherent, adeoque nondum pro peccatis agnita essent, expianda adhuc essent relicta (Lev. XV).

C. Eadem, quae singulis in transgressionibus duntaxat usu veniebant, sacrificia expiatoria, non nisi *quod ad carnem* sanctificare valebant. Peccatorum veniam conciliare non poterant, *civilem* tantum puritatem *externamque* sanctitatem comparabant (IX: 13, 14). *Israëlita*, variis plurimisque ritibus inclusus, continue fere unum alterumve eorum non potuit non omittere; quo impurus (*κακοισωμένος, κωνός*) cum esset, Levitico indigebat sacrificio. Hoc autem oblato, purus (*ἁγιαζόμενος*) quidem redditus erat, sed non nisi externâ ratione. Sacrificium piaculare conscientiam offerentis penitus tranquillare non potest (IX: 9). Et quâ tandem ratione taurorum atque hircorum sanguis, externus tantum ritus, eo valuisset (s. 12-14)? Solis enim continebatur antiquus ille cultus cibis et potibus, diversis ablutionibus et sanctificationibus carnis (s. 10). Carnalis mandati erat lex (VII: 16), quae nullam rem ad perfectionem perducere posset (VII: 18. X: 1). Sacrificia peccantis conscientiam perfecte tranquillare adeo nequeunt, ut recordatio horum potius illis quotannis instauraretur (X: 1-4). Externam purgationem afferre poterant, non vero ipsa peccata auferre, ita ut ab illis liberarentur delinquentes, horumque conscientiae non amplius percellerentur. Hanc vero conscientiam a mortuis operibus mundare, non nisi CHRISTI sanguis poterat, qui per Spiritum aeternum se ipsum Deo obtulit irreprehensibilem (IX: 14) 1).

II. Quae cum ita sint, jam viam nobis paravimus, quâ faciliore ratione *secundo loco* indagare possimus, *quonam sensu* universo *Mosaico* instituto, nominatim vero ipsius sacrificiis vim atque efficacitatem tribuerit scriptor. Quâ de re in duas

1) Simplex locorum recensio eo magis hic nobis sufficere videtur, quo accuratius Doct. R. v. d. Loeff, l. I. p. 111-116, in hanc sacrificiorum vim inquisiverit. Cf. tamen Kurtz, *M. O.* p. 41 sqq.; de Num. 19, p. 694 sq.; et Doedes, l. I. p. 48 sq. et 369 sq.

fere partes abeunt interpretes; quorum alii vim illam *immediatam* atque *realem* q. d. habuisse cum statuunt, alii de *mediatâ* atque *symbolicâ* eum cogitasse putant<sup>1)</sup>.

Ante quam vero singulas eorum sententias dijudicamus, rite nobis distinguendum videtur inter sacrificiorum vim *politicam* et *religiosam*<sup>2)</sup>. Quam distinctionem nisi teneamus, verendum est, ne dubii incertique hac in disquisitione vagemur. Quod enim ad vim *politicam* attinet, omnino *realis* dici potuit: licet habitâ religionis ratione *symbolica* sit dicenda. Interpretes vero, hac distinctione neglectâ, utrumque consilium saepius commiscuerunt, vel alterutrumque unice urserunt. Quum autem scriptor in vim religiosam prae ceteris in Christianorum gratiam inquirat, de hacce copiosius videamus, politico consilio omisso.

A. Ac nullum quidem, hac de vi si quaeramus, in nostrâ epistolâ invenimus vestigium, unde *immediatam* seu *realem* vim ipsis tribuisse scriptorem concludere liceat.

Eorum sententia, qui *physicam* illis adscribant vim, quasi sacrificium oblatum per se spectatum coram Deo aliquam efficacitatem haberet, in nullo hujus epistolae loco praesidium habet. Imo vero ABELI sacrificium plus apud Deum valebat, quam KAINI (XI: 4); omnia sacrificia *ex lege* erant offerenda (X: 8. IX: 22); et cui ceteroquin bono erant varia illa in summo Sacerdote requisita (II: 11, 17. V: 1, 3, 4. VII: 27. IX: 7)? Quid tandem hanc sententiam apertius refutat, quam illud scriptoris dictum: *fieri nequit ut sanguis taurorum tollat peccata* (X: 4)? — *Praeterea* sententia, quâ statuerit, summum Numen per sacrificia ad misericordiam moveri, minime cum eâ convenit, quâ eorum originem ab ipso Deo repetit.

1) Varias interpretum theorias accurate recensuerunt Schollins, in Diss. quae invenitur in: *Studien der Würtemb. Geistl. I. 2. IV. 1. V. 1*; atque Thol. *Beil.* p. 74 sqq.

2) Ita jam distinxerunt Grotius, Michaelis, alii; in primis vero hic in censum veniunt R. Koopmans, l. l. p. 42; atque Hengstenb. l. mox laudando.



Quid? quod iteratio eorum satis luculenter docebat, nullam realem vim, nisi ad peccata involuntaria (*ἀγνοημέτα*) expianda, externamque puritatem comparandam, iis ex ipsius mente adscribendam fuisse 1). Probe enim sciebat, holocausta et victimas externas Deo minime fuisse acceptas (X: 5, 6). Neque *Leviticæ* sacrificia abolitionem (*ἀθέτησιν*) scelerum vi suâ efficere potuerunt (IX: 26).

Veruntamen sunt alii, ne de ceteris theoriis moncamus, qui *politicum* consilium urgentes, sacrificium *mulctæ* instar vel cessionis honorum habeant 2). Quo vero jure hoc statuunt, ipsi videant; in hac saltem epistolâ minime illud proponit scriptor, de juridicâ *Mosaici* instituti parte nullam mentionem injiciens 3).

B. Nulla igitur restat sententia, nisi ea, quâ statuamus, scriptorem *symbolico* tantum sensu vim iis tribuisse, atque eatenus WETTIO assentire haud recusamus, scribenti: „Neque „alio nisi sensu symbolico victimarum substitutio in locum „offerentis sumi potest, licet postea, sicut omnia symbola, „in superstitionem abierit” 4). Cujus rei veritas patet ex X: 1, 4, ubi universa Mosaici cultûs ratio tamquam coelestium rerum/symbolum proponitur, cujus effigies erat dicenda. Quam symbolicam descriptionem tenentes, vim realem iis hactenus tribuere scriptorem minime potuisse statim videmus 5).

1) Cf. R. Koopmans, l. l. p. 63-67; et R. v. d. Loeff, l. l. p. 117 sqq.

2) Ita in primis J. D. Michaelis, Schulzius et R. Koopmans, l. l. p. 45 sqq. Aliae sententiae vidd. apud Thol. l. l.

3) Cf. R. v. d. Loeff, l. l. p. 118 sq. — Ven. A. Bruining, *De leer der verzoening met God*, Amst. 1806, ad hanc sententiam impugnantiam, recte provocat p. 17 ad Lev. V:16. IV:2. Lev. XIV et XV. Num. XIX. De juridicâ vero ratione eo, quo VV. dd. Da Costa et Kurtz hanc vocem usurpant, recte dici potest sensu.

4) In ejus *Comm. de morte J. C. expiat.*, § 6, p. 20. Cf. Süsskind, *Ist unter Sündenvergebung, welche das N. T. verspricht, Aufhebung der Strafen zu verstehen?* in *Flatt's Magazin*, III, p. 204 sqq.

5) Quod qui magis expositum cupit, legat quæso quæc hæc de re scripsit R. v. d. Loeff, l. l. p. 122 sq.

Sed vel sic tamen, supra indicatae distinctionis memores, politicam rationem spectantes, *realem* vim sacrificiis esse tribuendam nulli statuere dubitamus. Externam sanctitatem afferre potuerunt; immundi, externae Theocratiae ratione habitâ, oblati sacrificiis, reverâ mundi evadebant <sup>1)</sup>. Coram Deo autem cum *symbolicam* haberent vim, in notionis, quae

1) Egregie hoc discrimen expressit Hengstenbergius, *Christol.* I. 1, p. 264 sq. in ann., cujus verba hic describantur: »Denn waren gleich die » Opfer in Bezug auf das Verhältniss zur inneren Theokratie nur bezeichnend, » so waren sie doch in Bezug auf das Verhältniss zur äusseren Theokratie » bewirkend, oder eigentlich stellvertretend. Dass man Beides nicht unter- » schied, hat in die Untersuchung über Zweck und Bedeutung der Opfer in » der Mos. Religion grosse Verwirrung gebracht. Bei der Mannigfaltigkeit » der Gesetze musste es auch demjenigen, der in ihrer Beobachtung gewissen- » haft war, unmöglich fallen, si genau zu erfüllen. Es war daher nöthig, » dass eine Anstalt gegründet wurde, welche theils die Heiligkeit des Gesetzes » aufrecht erhielt, theils das drückende desselben minderte. Diess geschah » denn dadurch, dass derjenige, welcher durch Verletzung der theokratischen » Gesetze sich straffällig gemacht hatte, durch Darbringung von Opfern in » das vorige Verhältniss zurücktreten konnte. In dieser Hinsicht waren je- » doch die Opfer nur versöhnend für Verletzungen, die nicht aus frevelhafter » Verachtung des Gesetzes, sondern mehr aus Unkunde oder Unachtsamkeit » hervorgegangen waren. Schwere, böswillige Vergehungen wurden mit Aus- » rettung aus der Theokratie, oder mit dem Tode bestraft. *Bewirken* konn- » ten die Opfer nur in gewissen Fällen die Reinheit für die Theokratie, und » diese Reinheit war an die äussere Handlung allein, nicht an die damit ver- » bundene Gesinnung geknüpft. — Aber die Sündopfer bezogen sich nicht » bloss auf das Verhältniss des Sünders zur äusseren Theokratie, sondern » auch zu dem heiligen und gerechten Gott; in Bezug auf dasselbe waren sie » nicht *bewirkend*, sondern nur *bezeichnend*. (In Bezug auf das erstere » Verhältniss heisst es Hebr. IX: 13 von den Opfern, sie heiligen *περὶ τὴν » τῆς σαρκὸς καθαρότητα*; in Bezug auf das letztere werden sie v. 9 genannt » *μὴ δυνάμενοι κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα* und wird Cap. X: 3 » gesagt, dass sie nur die *ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν* bewirkten, indem es unmög- » lich sey, dass das Blut der Stiere und Bücke die Sünde wegnehme, womit » zu vgl. Philo *de vitâ Mos.* l. III. p. 669: *ὃ λύσιν ἁμαρτημάτων, ἀλλ' » ὑπόμνησιν ἐργάζονται*). Indem der Sünder das Blut der Thiere vergiessen » liess, zeigte er an, dass er selbst den Tod verdient habe, wenn Gott mit » ihm nach seiner Gerechtigkeit und nicht nach seiner Barmherzigkeit handeln » wolle. Die Wirkung der Opfer hing in dieser Hinsicht einzig von der da- » mit verbundenen Gesinnung ab."



huic symbolo suberat, veritatem nunc inquirere nobis superest. Nonnulli enim notionem illam primariam in eo quaesiverunt, quod sacrificia piacularia comedere nefas esset, veluti solutae cum Deo conjunctionis symbolum 1); alii in eo, quod neglectae legis divinae sensus excitaretur 2); alii hoc in primis urserunt, quod dona oblationesque a Deo acciperentur 3); alii tandem in sacrificio, igne consumto, symbolum observabant peccatorum, a Deo condonatorum, abolitionis 4).— Sed eorum in primis sententia cum hujus epistolae argumento congruere videtur, qui statuunt, sacrificia ab *una* parte poenarum, quibus afficiendus esset peccans, *symbolum* constituisse, quo culpae sensus in ipso excitaretur; atque simul ab *altera* parte *typice* retulisse magnum illud *christi* sacrificium, quo piorum animi erigerentur 5). Scilicet hanc scriptoris fuisse mentem, luculenter docet X: 3, ubi sacrificiorum effectus commemorat. Cum autem culpaе conscientiam quotidie fere excitarent atque instaurarent sacrificia piacularia, quae vel sic tamen animum renovare non valebant, neque peccata extinguere, num aliter fieri potuit, quin *realis* peccatorum remissionis desiderium simul excitaretur? Quid? quod utramque efficacitatem illis sacrificiis adscribere jubent ea, quae vi oppositionis de *christi* sacrificio monet scriptor.

De typicâ autem significatione cum § 3 de industria nobis sit agendum, hâc tantum nonnulla addere juvat de ratione, quâ hance sacrificiorum piacularium pro poenâ debitâ substitutionem scriptor cogitaverit, ita ut victimas pro pec-

1) Vidd. Sykesius, *Versuch über die Natur, Absicht und d. Ursprung der Opfer*, et Semlerus, in notis huic libro adpersis.

2) Philo, *de viet.* p. 336, et Klaiberus, *Versöhnungslehre*, p. 73.

3) Steudelius, *Glaubenslehre*, p. 259.

4) Hasenkampius, in diario: *Wahrheit zur Gottseligkeit*, I et III.

5) Priorem hujus sententiae partem urserunt Jahnius, atque quodammodo Schleiermacherus, *Glaub.* II, § 125. 3 (de quo cf. *Theol. Beil.* p. 77); posteriorem vero assumerunt antiquiores Theologi. Utramque rite conjunxerunt Hengst., *Christ.* I. I., Sackius, *Apol.* I. I., atque Tholuckius, *Beil.* I. I.



catore offerente, cui moriendum fuisset secundum legem, mortem subire vicariam existimaverit. Non deesse rationes videntur, cur scriptorem sic sensisse statuamus. Nam plane conveniebat haec de sacrificiis notio cum eâ, quam apud V. T. scriptores cernimus. Ne dicamus de certis hujus fidei, quae apud alios antiquitatis populos exstant, vestigiis <sup>1)</sup>: de *Hebraeorum* doctrinâ tantum videbimus. Neque hîc provocare volumus ad victimae manus imponendi ritum, quippe qui omnibus sacrificiis communis esset; licet probabile tamen videatur, hac ipsâ manuum impositione, in expiando adhibitâ, *translationem culpae* adumbratam fuisse; nam cuicumque sacrificio translationis alicujus notio inesse videtur <sup>2)</sup>. Sed, ut hoc *primum* observemus, inter omnes fere antiquitatis Hebraicae interpretes constat, ex *Hebraeorum* opinione, *hominum* mortem in aliorum vicem expiatoriam esse habitam. LXX saltem statuuisse, victimas piaculares loco sacrificantium peccata luere, apparet ex Lev. XVII: 11, ubi כִּנְפֵי־שׂוֹמֵרִים vertuntur per ἐν τῷ ψυχῆς. Eandem vero sententiam foverunt seniores Judaei <sup>3)</sup>. Deinde quod diximus, de *animalibus* etiam valere, sacrificiorum piacularium ritus innuere videntur. Victima enim, culpâ peccatoris in eam translata, impura puta-

1) Vidd. e. g. Herod. II. 39; Plut. *de Isid. et Osir.*, ed. Reisk. VII. 433; Caesar, *de bello Gall.* VI. 15; Ovidius, *Fast.* VI. 162; Porphyrius, *de abstinent.* IV. 15; alii. Cf. H. Grotius, *Defens. fid. cath. de satisfactione Chr.* X. p. 128 sqq.; Witsius, *Miscell. Sacr.* II. 20; Wettius, I. I. p. 18 sq., et Güntherus, I. I. p. 12.

2) Cf. L. F. C. Tischendorfius, *Doctrina Pauli apostoli de vi mortis Christi satisfactoria*, Lips. 1837, p. 14; qui Klaiberi refutat objectiones, quas movit in *Stud. der Wort. Geisl.* V. 2. p. 132 sqq. VIII. 2; Kurtz, I. I. qui Bährum refutat, p. 64 sqq.; Da Costa, I. I. 223 sq.; et Doedes, I. I. 21-26.

3) Vidd. Exod. XX: 5. Jos. VII. 2 Sam. XXI. XXIV: 10-25. Jes. XLIII: 3. LIII. Jer. XXXI: 29. Thren. V: 7; quorum locorum vim frustra infringere conatur Wettius, I. I. p. 21 sqq., licet et ipse victimarum piacularium substitutionem defendat § 6. Contra Wettium hoc probarunt Güntherus, I. I. p. 11 sq.; et Tischend., I. I. p. 13.

batur (Ex. XXIX:14. Lev. IV:11, 12, 21. VI:27, 28. XVI:28). Quae vero relinquebantur, extra castra concremanda erant (Ex. XXIX:14. Lev. IV:21. XVI:27); idque quidem hanc ob causam, prouti Ex. XXIX:14 diserte additur, **חַטָּאת הוּא**, quia est sacrificium pro peccatis. Quod hujus epistolae scriptorem praeceteris ursisse, XIII:11, mirari desinimus, ubi observaverimus, hoc quidem ritu haud dubie significari, peccatorum immunditiam in victimam transiisse atque igne delendam esse. Accedit (ne plura alleramus) quod is, qui combusserat ea, ablutis vestimentis suis, aqua erat lavandus, antequam in castra redire posset (Lev. XVI:28)<sup>1)</sup>. Praeterea Sacerdotes, cum de sacrificio piaculari comedisent, quomodo, nisi offerentis culpa in victimam transferretur, dici potuissent coetus iniquitates tulisse (Lev. X:17)? Imo vero substitutione negata, quid tandem significat locus (Lev. XVII:11): *Anima carnis est in sanguine, et dedi cum vobis in alture ad expiandas animas vestras; nam sanguis expiat animam?* Sanguinem comedi nefas erat: erat nimirum in peccantis vicem substituta anima, quae Deo offerebatur<sup>2)</sup>. Inde lucem accipit multiplex et accurata sanguinis sparsio, qualis non nisi in victimis piacularibus adhibebatur. Hunc autem victimarum sanguinem, loco ipsorum sacrificantium, Deo esse oblatum, ex eo quoque confirmatur, quod Num. XXXV:33 homicida

1) Ita Scholl V. 2. p. 154; et Wettius p. 16. Cf. tamen Bährus, II. 397; et Kurtz, 186 sq. Impuritas a victimâ nondum immolata transferebatur; simul vero ac mortem subierat denno pura censebatur. Doedes, I. 1. 39 sqq.

2) In eo quoque Hebraei cum gentilibus conveniunt; cf. Virg. *Aen.* II. 116 sqq. — De hoc loco vidd. G. Fünke, *Bezieht sich die Versöhnung allein auf den Menschen oder auf Gott und den Menschen?* in *Stud. u. Kr.* II. p. 297 sqq. 1842; Bährus, *Symb.* etc. II. 3. 1. **נֶפֶשׁ**, cujus sedes in sanguine erat, voluntatis sedes = *ἐπιθυμία*, ψυχή, morti erat tradenda, quod Christus fecit (coll. Mt. XX:28); Kurtz, l. l. p. 80 sqq.; de Geer, 128; Da Costa, 216, et Doedes, 39 sqq.

vetatur ad expiendam terram alium, quam ipsius sanguinem offerre. Porro huc alius etiam pertinet ritus. Caedes, cujus auctor ignotus erat, ita expiabatur, ut seniores et iudices proximi oppidi super juvencam mactatam manus lavarent, testantes, se sanguinem illum non effudisse (Deut. XXI: 1-9); quâ cerimonia abluebatur culpa, et in vaccam transferebatur<sup>1)</sup>. Hoc tandem nobis patet e significatione vocis כִּפֵּר, quae id denotat, quo aliud compensatur, quod ejusdem pretii est, λύτρον (coll. Ex. XXI: 31. Num. XXXV: 33. Jes. XLIII: 3. Prov. XXI: 18); cum hac vero cognatum est verbum כִּפֵּר expiare, cui adeo substitutionis notio subest<sup>2)</sup>. Hanc autem notionem similiter inesse verbo חָטָא, de expiatione adhibito, ex Gen. XXXI: 39 probatur. Huc pertinent quoque חָטָא et אָשָׂם, quae, quum proprie significant peccatum, tum peccati poenam, de ipsâ victimâ piaculari adhibentur, quippe cui, ut commodissime illa explicari videntur, peccatum vel potius peccati poena inhaereat imposita. Idem denique<sup>3)</sup> docet ritus hirci emissarii, עִזָּאֵל dicti, in cujus caput omnia totius populi peccata rejiciebantur (Lev. XVI: 21), ut in victimam translatae culpae esset symbolum<sup>4)</sup>.

Hanc autem substitutionis doctrinam in nostrâ etiam epistolâ obtinere, quamquam magis positam, quam diserte enun-

1) Cf. Tischend. l. l. p. 14, et Da Costa, l. l. p. 218 sqq.

2) De significatione et vi vocis λύτρον vid. Disp. praeceptoris mei aestimatissimi H. E. Vinke, mox laudanda, p. 54-56.

3) Alia insuper argumenta afert Wettius, l. l. § 6. p. 13-20; ubi in primis recentiorum Judaeorum laudantur testimonia. Cf. H. Muntinghius, *Gesch. der menschl.*, ed. 2a. IV. p. 226 sqq., et X. p. 100 sqq.

4) Lev. XVI: 8<sup>b</sup> optime sic explicari videtur: *Sortem unam Jehovae consecrato hircio, sortem vero alteram hircio ad emissionem destinato.* De forma et significatione hujus vocis cf. Thol. *Beil.* p. 79 sq in ann.; atque de universo ritu *Diss. de hircio emissario*, in Hasaei *Mus. hist.-phil.*, II. 4; Storrius, l. l. II. 488 sq.; Kurtz, 266 sqq.; et Doedes, 26 sq.



tiam, nemo facile infitias ire potest. Ex totâ scriptoris cogitandi ratione hoc jure efficimus, praesertim vero hoc luculenter docet ritus, IX: 17 laud., qui quid aliud significare potuit, quam nullum foedus ratum fore, nisi victimae mors intercederet; sine sanguinis effusione nulla peccatorum remissio. Unde explicandum etiam videtur, quod, politicae institutionis ratione habitâ, die expiationis magnae omnes expiarentur Israëlitaë, ne ii quidem excepti, qui non corde, sed externo tantum ritu sacrificium offerrent. Vocabula ἀγιασμός, καθαρισμός, ἄφεσις, ἱλασμός, λύτρωσις e V. T. sunt deprompta, neque ad offerentes tantum referri possunt. Quid? quod, sacrificio oblato, fractum cum Deo foedus restitutum erat, atque peccata tecta, ita ut culpâ liberarentur atque ad *Jehovae* commercium denuo admitterentur. Nonne idem solemnî expiationis die cernimus? Sacrificia piacularia simulac oblata erant, eorumque sanguine populus adpersus erat, expiatus habebatur populus. De emendatione, quâ peccatorum remissio compararetur, nullam invenimus mentionem. Consequabantur ergo sacrificiis, ut scriptor noster docet (IX: 13), puritatem, sanctitatem externam; erant rursus pars populi sancti. Lustrabantur atque ita cum Deo conciliabantur, ut Ejus favorem jure exspectare possent<sup>1)</sup>. Quae si recte disputavimus, negari nequit, scriptorem quidem sensu religioso sacrificiis, peccata vere tollere (περιελείν, X: 11) non valentibus, symbolicam tantum vim tribuisse;

1) Vid. Disp. V. cl. H. E. Vinke, *Leer van J. en de App. aang. zijn tijden en sterven tot vergeving der zonden en zaligheid*, 1835, a Soc. Hag. auro ornata, p. 411; et scriptores ab eo laudati. Cf. porro Hengst. *Christ.* I, p. 264; Ewaldus, de pecc. remissione, cujus tit. belg. vers. est: *Behoefte de mensch verg. van zonden? en wat leert ons de bijbel daaromtrent?* p. 22 sqq.; et Tischend., l. l. p. 16: » Certo, » definiti non potest, utrum prorsus opus operatum fuerint, an efficiencia eorum nonnihil pen- » dere ab offerentis animo judicata sit. Illud certe successu temporis factum » est, hoc quibusdam locis prophetarum, moribus populi emendandis studen- » tium, probabile efficitur. Summa quidem rei non mutatur. »

simul vero peccatorum in victimam translatione symbolum iis subjecisse, quod postremis diebus in sublimiori christi sacrificio vere obtinuit.

Quibus observatis viam nobis stravimus ad typicam cultus Mosaici rationem convenienter divino consilio, ex mente scriptoris indagandam, atque universam V. T. theocratiam tamquam *σκιά των μελλόντων* considerandam.

### § 3.

*Cultus Mosaicus οὐκ ἄμεμπτος, γηράσκων, σκία τῶν μελλόντων. Divinum ejus instituti consilium.*

Quum ex praecedente disquisitione de cultus Mosaici ratione jam viderimus, proximum ejus consilium, habitū politicarum rerum ratione, fuisse, ut eo, visibili veluti symbolo, Deum inter atque populum foedus sanciretur: nunc praecipue inquiramus, quatenus haec omnia, novae oeconomiae ratione habitū, consideraverit scriptor.

Universum scilicet illud institutum unum atque magnum N. T. illum habuisse typum *primum* observabimus. Dein ostendemus ex ipsius mente institutionem illud recte dici, quā culpae sensus *Messianique* temporis desiderium apud *Israëlitas* excitarentur. Tandem ea praetereuntia atque imperfecta fuisse satis perspicue indicasse scriptorem probabimus. De singulis breviter dicemus.

I. Quid scriptor per *typum* intellexerit, quum supra jam indicaverimus, hic brevioribus nobis esse licebit. Lex enim umbram tantum continet futurorum honorum, non vero ipsam rerum imaginem expressam; quemadmodum ipsam effigiem praecedere solet umbra, corpusque ponit (X: 1). Porro in hac epistolā occurrunt vocabula, idem fere denotantia, *ὑποδείγματα, παραβολή, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, τῶν μελλόντων, τῶν ἐπουρανίων*. Fundamentum vero, quo omnis scriptoris nititur hac de re cogitandi ratio, ipso indicante,



invenitur Ex. XXV:40 (VIII:5), ubi moyses a Deo admonetur, ut omnia faciat ad typum, in monte *Sinaitico* ipsi monstratum. Hoc ita de industriâ a Deo constitutum fuisse, neque fortuitam utriusque oeconomiae convenientiam fuisse, sine dubio statuendum erat scriptori, qui ad Deum auctorem omnia referebat, atque tam in V., quam in N. T. christum agnoscebat. Cujus rei veritas e multis hujus epistolae locis omni dubio major redditur. Postquam enim IX:1-7 tabernaculi, quod Deus, foedere cum *Judaeis* facto, extrui jusserat, splendorem descripserat, diserte noster addit, quodnam hujus instituti divinum fuerit consilium. Τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, μήπω πεφανερωσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, ἔτι τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχοῦσης στάσις (s. 8). Spiritus igitur sanctus per illam tabernaculi structuram indicare voluit, vigente cultu *Levitico*, hominibus non esse concessum liberum ad Deum aditum; postea vero per christum potestatem concessum iri libere solium gratiae adeundi. Quum alibi Spiritus sanctus homines edocere dicatur res futuras per Prophetas, hoc loco per rem in facto positam, per typum eas communicare affirmatur. Quocirca cultum illum *Leviticum* exemplar figuramque (*παραβολὴν*) ad hoc, quo epistola scribebatur, *διορθώσεως* tempus respicientem, recte vocare potuit scriptor.

Ex hisce jam satis nobis patet, totam hanc tabernaculi structuram pro magno typo umbrâque esse habendam rerum coelestium, quae, quatenus aliquando per *Messiam* in terrâ vere conspicerentur, futurae quoque vocari possent. Universam theocratiam terrestrem *Messianum* regnum spirituale indicasse scriptor statuit, atque totum cultum *Leviticum*, qui adhuc vigeat, vivam imaginem et adumbrationem esse dicendam cultûs perfectioris, cujus aeternus Apostolus atque verus Pontifex maximus christus fuit (III:1). *Messiae* expectatio, ut uno verbo dicamus, totius legis ceremonialis ei fuit centrum et principium, quod solum lucem affert; namque, sub-



lato hocce, cultus ille *Leviticus* non nisi inanes, omni vi carentes ritus ceremoniasque continet.

At vero, etiamsi de *universo* Mosaico instituto hanc scriptoris fuisse mentem, a longe plurimis interpretibus communi fere suffragio agnoscat<sup>1)</sup>: magnus tamen inter eos dissensus exstat de quaestione, quatenus haec typica interpretatio ad *singulas* res e scriptoris mente sit referenda. Atque facile concedimus, magnâ hic opus esse cautione, ne subtiles nostri ingenii lusus scriptori obtrudamus; quod rite jam observavit AUGUSTINUS <sup>2)</sup>. Sed vel sic tamen quominus negemus, singula etiam cultûs Mosaici instituta typicam habuisse significationem, vetat hujus epistolae ratio. De symbolica singulorum significatione inter omnes fere recentiores Hebraicae antiquitatis peritos constat; quod quo jure statui possit, nisi typicâ quoque assumptâ ratione, non perspicimus <sup>3)</sup>.

1) Pauci tamen hoc plane negant, inter quos recensendi sunt R. Koopmans, in Diss. saepius jam l., p. 95-118, 128-136; et Bruiningius, l.l.

2) Cf. Calv. ad VIII: 5. » Non est tamen, » inquit, » quod hic ultra modum simus curiosi, ut in singulis clavis ac similibus minutis quaeramus » sublime aliquod mysterium, quemadmodum hac in re anxie laboravit Hesychius, et bona pars veterum scriptorum. Nam dum argute philosophari » in rebus sibi ignotis volunt, pueriliter hallucinantur, seque ineptiendo, » faciunt ridiculos.»

3) Discrimen inter *Symbolum* et *Typum* egregie exponit Bährus, l.l. I. p. 15 sq.: » Das Symbol ist irgend eine für die sinnliche Anschauung unmittelbar vorhandene äusserliche Existenz, welche nicht etwas für sich, und » um ihrer selbstwillen da ist, sondern auf ein Anderes, nicht sinnlich Vorhandenes hinweist, und als sichtbare, sinnliche Hülle des Unsichtbaren » und Uebersinnlichen erscheint. — Der Typus ist, wenigstens dem allgemein » recipierten theologischen Sprachgebrauch gemäss, zwar gleichfalls Symbol, » jedoch mit wesentlicher Beziehung auf die Zeit; das Andere, auf welches er » durch seine Aeusserliches hinweist, ist nämlich ein noch nicht wirklich » Vorhandenes, Gegenwärtiges, sondern ein noch zu Geschehendes, Künftiges; der Typus ist ein prophetisches Symbol. — Denn nichts kann gewisser seyn, als dass die neutestamentlichen Schriftsteller dem Mos. Cultus » diesen typischen Charakter zugestehen. — Es gründet sich nämlich auf das » Verhältniss der beiden Oeconomieen des A. und N. Bundes zu einander. » — Idem fere statuit Hengst. *Pent.* II. p. 632. monens: » Auf dem, was das

Quaenam quaeso justa dari potest causa, cur Deus tam accurate minutissimas quasque cultûs externi partes mosti ob oculos posuerit (VIII: 5)? Modum vero hic teneamus, nec plus scriptori tribuere studeamus, quam, teste epistolâ, ipse diserte indicaverit. Licet autem non ubique *umbræ* vocabulum sit additum, ex eo tamen, quod *Sanctuarii*, *Sacerdotis* atque *Sacrificiî* notiones saepius ad futurum seculum referantur, jure concludere videmur, has saltem *Levitici* cultûs partes primarias tot illum habuisse typos. Hoc enim negato, quid typica scriptoris ratio significasset?

Cap. IX: 1-7, ubi de *Sanctuario* sermo est, *Sanctum* (ἡ πρώτη σκηνή) et *Sanctum sanctorum* (σκηνή ἡ λεγομένη ἕγια ἁγίων) de industriâ discernuntur; atque s. 8 diserte monet scriptor, quamdiu ἡ πρώτη σκηνή, quâ *Sanctum* est intelligendum <sup>1)</sup>, adhuc stabat, *Israëlitas* arceri ab aditu in *Sanctissimum*, quod *δήλωσις* Spiritûs s. habebatur: unde patet, peculiarem utrique significationem eamque typicam subesse. Hunc aditum cum ne Sacerdotes quidem, nedum *Israëlita* intrare posset, nonne eo Deus declarare voluit, tum populo universo, tum sacerdotali atque spirituali *Israëli* liberum ad se aditum nondum patere? Quemadmodum enim V. T. per *Sanctum*, ita Novum per *Sanctissimum* praefigurabatur. Etenim *αἶων μέλλων* cum advenisset, CHRISTUS liberum ad Patrem accessum nobis comparavit, coelumque aperuit unicuique, cum fiduciâ accedenti.

*Sacerdotes*, summum in primis Sacerdotem, tamquam mediatorem, populumque repraesentantem, CHRISTI typos agnovisse

» Israëlitische Heiligthum *bedeutet*, ruht das, was es *vorbedeutet*. Die Feststellung der symbolischen Bedeutung muss uns den Schlüssel des Verständnisses gewähren für die Andeutungen des N. T. in Bezug auf die typische Bedeutung, und wiederum, was wir aus dem N. T. in Bezug auf die typische Bedeutung erkennen, muss der Feststellung der symbolischen Bedeutung zur Bestätigung dienen.»

1) Quam significationem satis probavit Bleekius ad h. l.



scriptorem, post ea, quae jam supra hac de re monuimus, supervacaneum erit copiosius probare.

De *Sacrificiis* potius videamus, utrum typis sint accensenda necne. CHRISTI sacrificium cum *Leviticis* sacrificiis piacularibus comparari, ac utriusque sanguinis vim sibi invicem opponi, quis non videt? Quod si concedimus, simul concedendum erit, eas omnes, quae primo obtutu non nisi arbitrariae videntur comparationes, ex mente scriptoris pro typis atque imaginibus esse habendas. Quam animadversionem si ad sacrificia applies, satis diserta hujus rei indicia in epistolâ invenies. Sacrificiis enim continue offerendis typicum continebatur Sacerdotum munus, qui in Sanctuario terrestri, coelestis umbram referente, administrabant (VIII: 4, 5. IX: 23); eademque sacrificia arctissime cohaerebant cum *umbrae* cultu (X: 1). Ex eo, quod Sanctuarium ejusque supellectile typicam habebat significationem, jam sponte intelligimus, sacrificia etiam, quibus sanctificarentur, typica esse censenda (IX: 23). Quid? quod Spiritus sanctus haec quoque sacrificia, in quorum locum CHRISTI oblatio aliquando substitueretur (X: 5-8), ut carnis statuta usque ad tempus emendationis injunxerat (IX: 9, 10). Quibus omnibus locis perpensis, nobis saltem luculenter apparere videtur, CHRISTI sacrificii typum atque imaginem in *Leviticis* illis oblationibus re verâ conspexisse hujus epistolae scriptorem.

II. In typicâ autem hac cultûs *Mosaici* ratione agnovisse eum institutionem, quâ antiqui aequae ac sui temporis *Israëlitae* Evangelio accipiendo praepararentur, jam *secundo loco* probemus.

A. Tendebat scilicet externus ille cultus ad culpae sensus apud *Israëlitas* excitandos, ipsosque adeo melioribus CHRISTI temporibus praeparandos. Quod consilium quomodo de ipsius nostri scriptoris mente assecutus sit Deus, tota ejus epistola satis ostendit; sed praeterea de sacrificiis diserte testatur ipse, in illis quotannis obtineri peccatorum recordationem



(X:3). Peccatum, tamquam peccatum cognitum, non parvi aestimare Deum, neque ejus remissionem concedere sine sanguinis effusione (IX:22), experiundo docebantur *Israëlitae*. Quod egregie animadvertit SCHLEIERMACHERUS, cum scripsit:

„Wie waren alle Opfer des A. B. ein Gedächtniss der Sünde?  
 „So dass, indem durch das Opfer für die einzelnen Handlungen, welche dem Gesetze des Höchsten widersprachen, eine Genugthuung sollte geleistet werden, so dass Besorgniss vor Vorwürfen und weiteren Strafen aufhörte, doch zugleich durch die Darbringung des Opfers ein Bekenntniss der strafbürdigen Handlung abgelegt wurde, und also jeder Einzelne für seine Sünden, für das, was er selbst für das Gesetz dargebracht hatte, ein Gedächtniss stiftete durch die öffentliche Darbringung des Opfers 1).“ Nonne ex eo divinam sanctitatem agnoscere debebant? Nonne innumerabilia fere sacrificia peccatorum memoriam continue renovare debebant; etsi vel sic tamen culpa non aboliebatur (IX:26). Non poterant illa sacrificia, quod ad conscientiam attinet, perficere (IX:9), neque ea offerentem perfecte tranquillare, neque de Dei favore satis certos reddere animos. Hoc unice efficere valebant, desiderium verae expiationis excitare et alere: quo simul spiritualium Evangelii beneficiorum aliquando accipiendorum capaces redderentur *Israëlitae*:

B. Tota enim institutio eos ad CHRISTUM ducebat: quippe qui culpae sensus re verâ deleturus, peccatumque sublaturus esset; desideriumque excitabat perfectioris illius foederis. — Melius enim edoctus *Israëlitae*, cujus mentis oculus apertus erat, veterem illam oeconomiam non nisi futurorum bonorum umbram habuit; quum Sanctuarium nondum patens, atque sacrificia innumerabilia eum docerent, liberum ad *Jehovam* accessum adhuc clausum esse. At simul novi meliorisque aevi spes fovebatur, quo omnes a Deo essent edocti (VIII:11).

1) Vid. V. cl. *Oratio sacra*, de loco Heb. X: 8-12. V. No. 11.

Num aliter fieri potuit, quin promissi διορθώσεως temporis desiderium apud *Hebraeum*, prae vulgo sapientem, aleretur, quo unusquisque, qui per *Messiam* delictorum veniam impetraret, cujusque conscientia in perpetuum consummaretur, melioris foederis socius esset habendus. Tunc prioris testamenti defectus tollerentur aeternaque redemptio perliceretur (IX: 12. X: 15-18, coll. 5-9). *Israëlitae* per Prophetas edocti sciebant, imaginem tantum et adumbrationem rerum coelestium exhibuisse MOSEM (VIII: 5), atque ex eorum vaticiniis comperiebant, coelestia haec aliquando in hanc terram ventura esse. Ab umbrâ ad ipsam rem escendere poterant, namque theocratica ratio futuri illius aevi typus (παραβολή) simulque pignus erat. Atque ita promissionem per fidem poterant amplecti et e longinquo videre (XI: 13)<sup>1)</sup>.

III. Ex hac typicâ ratione sponte jam sequitur, cultum *Leviticum* de scriptoris mente imperfectum fuisse, brevique tempore ad nihilum redigendum. Vetus enim testamentum cum umbra tantum diceretur futurorum honorum, cumque aditus ad *Sanctissimum*, veri Sanctuarii ἀντίτυπον, summo duntaxat Sacerdoti, idque uno expiationis die, manente foris toto populo, pateret, exinde jam apparebat, tempus adfore, quo suam illud vim et auctoritatem prorsus amitteret. Quia re verâ novum substitueretur, necesse erat ut prius illud

1) Conferri hic merentur quae hac de re monet Doct. van Vloten, *Inleiding tot het wetboek van Moses*, p. 83 sqq., ubi inter alia haec occurrit:  
 » Hoe de *Israëlitën* daarover dachten en hoeverre de denkbeelden tot voedsel  
 » voor hun geloof, bij hen ontwikkeld waren, durf ik niet bepalen. Twee  
 » waarheden liggen onbevooroordeeld in de denkwijze van den Jood onder 't  
 » O. T.; er zal een hoogepriester komen die dat groote offer slachten zal. 2. Dat  
 » offer zal zoo krachtig wezen, dat het tijdstip, waarop dat offer geslacht  
 » wordt, met reden de *groote verzoendag* mag genoemd worden. — Hier  
 » was voedsel voor het geloof van elken Jood, als burger, en als lid der ge-  
 » meente beschouwd. In alle nationale offeranden dacht hij aan dat gewigtig  
 » offer, dat éénmaal en voor altoos, geslacht, de nationale zonden wegneemen  
 » zou. En in elk schuldoffer voor zich zelve, moest hij verzekering hebben,  
 » dat ook zijne zonden, om des geliefdens wille, vergeven waren."

desineret, cujus, cum umbra tantum esset, senescentis indicia JEREMIA jam indicaverat (VIII: 7-13). Quodsi totum illud ministerium interit, cessant etiam ejus cerimoniae atque eorum sacrificia suam vim amittunt. Vetus enim testamentum, cujus inaugurationi sanguis inservierat, quum novo illo promisso abrogatum esset: melior CHRISTI sanguis prioris occupaverat locum (IX: 12. XII: 24). Quod ipse scriptor concludit; nam postquam novi meliorisque foederis promissionem laudaverat, ita pergit: Ἐν τῷ λέγειν καινὴν, πεκαλαίωκε τὴν πρώτην τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ γράσκον, ἐγγυὲς ἀφανισμοῦ (VIII: 13). Consilio cum satisfacisset, in posterum abolendum erat. Legis servitutis, metus et anxietatis locum spes nobilior, nunc introducta, occupare debebat (VII: 19)<sup>1</sup>. Externo, imperfecto cultui (IX: 9, 10. VII: 11) spiritualis ratio substituebatur; prior enim lex abrogabatur, ut inanis et inutilis, quippe quae nihil perficere potuisset, ad consummatam certe perfectionem ducere nequivisset (VII: 18, 19). Stabat quidem adhuc templum, florebatque cultus *Leviticus*, quum epistolam scriberet noster; vigeabant adhuc sacrificia, quae conscientiam tranquillare non valebant (IX: 9), quaeque adeo etiam tum imago cultus perfectioris erant atque adumbratio. Sed senectuti cultus iste *Leviticus* aequiparandus erat; veteratus erat atque ad interitum vergens (παλαιούμενος καὶ γηράσκων); mox plane abrogandus atque abolendus, imo jamjam omnem suam vim amissurus. Quid? quod templum *Hierosolymitanum* brevi post hanc epistolam scriptam funditus everteretur; quo destructo *Leviticus* cultus necessario cessaret. Novum enim Deus meliusque foedus per MESSIAM jam fecerat, ultimisque his diebus locutus erat per FILIUM.

1) Sermo enim est de religione Christianâ, in legis Mosaicae locum induta, quae multo potiore certioreque in nobis excilet spes Deo appropinquandi, et ejus favorem summâ cum fiducia expetendi. Cf. Abreschius, Thol. et Bleekius ad h. l.



## PARS II.

### SCRIPTORIS SENTENTIA DE NOVO TESTAMENTO.

Hactenus explicare studuimus, quid de V. T. statuerit hujus epistolae scriptor. Vidimus enim ejus sententiam de V. T. *vaticiniis, historid, sacris*. Jam vero hisce peractis, alterâ hujus disquisitionis parte, quid de summa N. T. praestantiâ senserit ille, indagandum superest. Consilium enim totius hujus epistolae conscribendae hoc fuit, ut, summâ Evangelii prae V. T. excellentiâ celebratâ, ab apostasiâ avocarentur lectores. Quod e s. 1 jam apparet; ubi ét Veteris Novique T. oeconomia oblique sibi invicem opponitur, ét posterior, ut multo praestantior, laudatur. Duae temporis periodi discernuntur: priscum tempus, quo per Prophetas voluntatem suam patefecit Deus; atque *αἰὼν μέλλων*, de quo saepius in hac epistolâ sermo est. Per Filium vero Deus se nobis manifestavit ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμέρων <sup>1)</sup>, quod proprie ad neutram periodum pertinet, sed transitum ad aeternum CHRISTI regnum facit. Haec N. T. periodus transitoria alibi vocatur *ὁ καιρὸς ἐνεσθηκώς* (IX: 9), (qui tamen ad priscum etiam ante-Messianum aevum catenus est referendus, quatenus Judaica sacra adhuc vigeabant), et *συντελεία τῶν*

1) Hanc lectionem esse praefendam jam vidit Bengelius. Cf. Thol. et Bleekius ad h. l.

αἰώνων (IX: 26). Christiani vero fide (VI: 5) jam transgressi erant in alteram periodum, Messianam illam, quae κειρὸς διορίσσεως (IX: 10), ἡ οἰκούμενη ἡ μέλλουσα (II: 5), αἰὼν μέλλον (VI: 5), αἱ ἡμέραι ἐρχόμεναι (VIII: 8), μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας (X: 16) vocatur 1). In hoc vero μέλλοντι αἰῶνι sunt μέλλοντα ἄγαθα (IX: 11. X: 1). Mox omni suâ vi aderit ille temporis finis (X: 13, 25, 37), atque aeternum CHRISTI regnum (ἀσάλευτος βασιλεία, XII: 28). Observari autem meretur, tam saepe in hac epistolâ vocabulum *aeternum* occurrere; prouti αἰώνιος σωτηρία (V: 9), αἰώνιον κρίμα (VI: 2), ἀπαράβατος ἱερωσύνη (VII: 24), αἰώνιος λυτρώσις (IX: 12), αἰώνιον πνεῦμα (s. 14), αἰώνιος κληρονομία (s. 15), αἰώνιος διαθήκη (XIII: 20). Nonne hujus rei causam in eo cerni statuamus, ut, saepius repetitâ hac aeternitatis notione, Evangelii prae Veteri Oeconomîâ celebraretur praestantia, quam uberius tractare variisque modis probare sibi proposuerat scriptor?

Haec vero accuratius perpendamus; quo facto, quid de summâ N. T. praestantiâ scriptor statuerit, dilucide apparebit. Itaque, epistolae ordine, quoad ejus fieri poterit, servato, oculos convertamus *primum* in JESU CHRISTI personam; *deinde* in ejus munus atque opus; *denique* in ea, quae in Christianis requirantur.

## CAPUT I.

### JESU CHRISTI PERSONA.

In totâ hac epistolâ de CHRISTI *personâ* prae ceteris agitur, non ita de ejus *doctrinâ*. Ubivis ipsius CHRISTI praestantia

1) Cf. L. Usteri, *Paul. Lehrbegr.*, ed. 5<sup>a</sup>, 1834, p. 344 sq., Thol. ad h. l., et Briët, *Onderzoek naar de leer van Jezus en zijne App. betr. de Opst. der dooden*, in *diario Godg. Bijdr.* 1842, p. 370 sqq.

celebratur, isque agens inducitur, quod optime convenit cum scriptoris consilio, quippe qui cum summo Sacerdote praeceteris eum comparare voluerit; licet facile demus eum quoque docentem, Prophetae instar, proponi (cfr. I: 1, aliique loci). Ad probandum autem, ejus personam omnes V. T. administratos longissime superare, hanc rationem secutus est scriptor, ut *primum* eum laudibus efferat praec Angelis (I et II); *tum* praec MOSE (III: 1-6); *porro* praec Sacerdotibus *Leviticis* (IV: 14-X: 22); *denique* praec omnibus antiquioris oeconomiae sanctis (XI et XII: 1-3). De quibus quatuor capitibus nunc accuratius nobis est agendum.

## § 1.

*Praestantior Angelis.*

Causa, cur scriptor comparisonem JESUM CHRISTUM inter et Angelos instituerit, haec fuit, ut ostenderet Christianam doctrinam Judaicae quam longissime esse praefendam, siquidem praestantia doctrinae judicanda esset e modo, quo fuerit tradita. Legem enim in monte *Sinaitico* per Angelorum ministerium fuisse datam, clamitabant *Judaei*. Cujus opinionis vestigia reperiuntur cum in ipso Cod. s. Act. VII: 53 et Gal. III: 19; atque in Versione Alex. (quod supra jam notavimus); tum apud JOSEPHUM et PHILONEM<sup>1)</sup>; tum apud *Rabbinos* Judaicos. Hanc nostri etiam scriptoris fuisse sententiam idcirco probabile nobis videtur, quoniam apud ejus populares vulgaris erat, ipseque STEPHANUS et PAULUS eam amplexi fuerunt. Accedit, quod sacri Scriptores procellas et tonitrua Angelis adscripsisse videntur; quod quare de naturae in monte *Si-*

1) Cfr. Carpzovius, *Exercitatt. in h. epist.*, ad II: 2, Wetstenius, ad Gal. III: 19, et Bleekius, II. p. 202 sqq. -- De Angelorum veneratione apud Judaeos vidd. Hess, *Lehr, Thaten* etc. II. 386, Heringa, *Comm. de Angelis*, in Soc. Hag. Opp. 1811, p. 70.



naïtico phaenomenis non statuissent, haudquaquam perspicimus 1). Quidquid est, ex hacce Judaeorum opinione occasionem arripit scriptor, ut probet N. T. auctorem atque interpretem Angelis multo esse majorem. Quocirca c. I proponit Filium atque imaginem Dei, ante mundum conditum jam existentem, atque omnium rerum dominum. Quâ comparatione absolutâ, adjunctâque brevi adhortatione paraeneticâ, c. II de terrestri ejus vitâ morteque nonnulla monet.

I. *Primum* igitur videamus de sublimiore ejus naturâ, quae summam personae eminentiam arguit. Sed jam statim in nostrâ disquisitione quominus procedamus, impeditur quaestione, quâ ratione ex scriptoris mente divinam inter atque humanam JESU CHRISTI naturam sit discernendum, cum eâdem sectione utraque confundi videatur. Tria hîc in primis nobis tenenda videntur: *Primum*, nostrum scriptorem, licet de divinâ CHRISTI naturâ summa quaeque indicet, non ita anxie inter utramque distinxisse, cum θεῶν μετῶν in primis respexerit, qui utriusque naturae socius divinam dignitatem nunquam amisisse sit censendus. *Tum* duo maxime ipsius Sospitatoris dicta hîc conferri merentur, Joh. V: 26, et XVII: 5; unde sequitur Filio suo Patrem dedisse ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, atque post reditum in vitam θεανθρώπων fuisse tributam palamque designatam omnem illam gloriam atque majestatem, quam una cum Patre Filius habuerit ante mundum conditum. *Tandem* causa, cur CHRISTUS homines servare atque rerum omnium dominus constitui posset, in divinâ ejus naturâ latebat; fundamentum enim hujus rei jacebat in ejus praexistentiâ atque mundi creatione et conservatione. Quae si teneamus scriptoris argumentationem facilius intelligemus.

A. Nulla fere denominatio in hac epistolâ saepius occurrit

1) Cf. *Comm. C. Chr. Tittmanni, de compar. Christi cum Angelis*, in *ejus Opp. Theol.* p. 231 sqq., et Abreschius, ad l.

quam *ὥς τοῦ θεοῦ* <sup>1)</sup>). Jam statim in initio ita vocatur; atque Angelis, utpote ministris opponitur. Ex qua oppositione patet, illam formulam de CHRISTO eminentiori sensu <sup>2)</sup> accipiendam esse, quam de Angelis, in V. T. plus semel ita nuncupatis. Hoc porro sequitur ex iis, quae de hoc Dei Filio praedicantur (coll. V:8). S. 4 illud *Filii* nomen <sup>3)</sup> vocatur *ὁσῶ διαφορώτερον*, quam Angelorum, i. e. ministrorum, denominatio. Quod additur, cum hocce nomen *κληρονομεῖν*, hoc ex nonnullorum quidem sententiâ simpliciter ponitur pro *ἐπιτυγχάνειν*, accipere, consequi, potiri, nullâ aut sortis aut hereditatis ratione habitâ, idque ad similitudinem Hebr. *נָחַל* vel *יָרַשׁ* <sup>4)</sup>; certe jus, quod Filius in Patris bona habet, ponit <sup>5)</sup>. Sed metaphysicum illum sensum omni dubio majorem reddit laudatio Psalmi II, quo utitur scriptor, ut argumentatio efficacior habeat vim in animis Judaeorum. Hoc quidem facile concedimus, τὸ σήμερον minime de aeternitate esse explicandum, sed inaugurandi, declarandi significatione sumendum hoc sensu: *hodie declaravi te esse filium meum*; potissimum suscitatione e mortuis et dominio ei concessio <sup>6)</sup>. Sed vel sic tamen primam propriamque verbi

1) Cf. Disp. Doct. Seyffarth, *Ein Beytrag zur Christologie des Hebräerbriefes*, in L. Bertholdi *Krit. Journ.*, XV. p. 7 sqq.

2) Scholten in *Or.* I. p. 87: »Apud Paulum,» inquit, »et scriptorem ep. ad Hebr. sensu magis metaphysico de praesistentiâ τοῦ λόγου occurrit.»

3) Cf. Abr., Thol., Bl. ad h. l.

4) Ita Abr. ad h. l. aliique interpretes.

5) Bleekii verba, II, p. 33, a Thol. probata, hic afferenda sunt: »Auf jeden Fall liegt das darin, dass der Besitz des Sohnes und seine Herrschaft über alle Dinge ihm gleichsam wie das ihn gebührende Theil verliehen sei, nämlich vom Vater; aber auch das hat wohl durch das Wort mit angedeutet werden sollen, dass diese Verleihung geschehen sei eben in Gemässheit des zwischen ihnen stattfindenden Verhältnisses als Vaters und Sohnes.» — Cf. Doct. Seyffarth, *de epist.* — *indole maxime peculiar.*, p. 64 sq.

6) Sic Calvinus, ad Act. XIII:33, Coccejus, Bengelius, et omnes fere recentiores interpretes.

γενῆ et γεννᾶν significationem, quae sine dubio est *generare*, minime relinquere licet; nam nullum moralis vel emphatici hujus verbi usûs occurrit exemplum, atque nullibi de impropria adoptione sumitur<sup>1)</sup>. Quâ de re si constet, fere perinde est, utrum 2 Sam. VII: 14 eodem metaphysico sensu acceperit scriptor necne; prius tamen ob orationis contextum verosimilius videtur. — Jam igitur quoniam *Messias* est Filius Dei, propterea et ipsi Angeli in coelis eum tamquam verum Deum colunt et adorant. Tantum enim inter *Messiam* atque Angelos discrimen est, quantum percipi possit maximum. Nam quum alio loco, ita pergit auctor s. 6, primogenitum illum, hoc est principem et caput rerum creaturarum omnium<sup>2)</sup> inducit in mundum, ipsique tradit totius rerum universitatis imperium, ita loquitur Deus: *adorent ipsum omnes Dei Angeli*<sup>3)</sup>.

Sed praeterea duae occurrunt (s. 3) denominationes, ad quas attendere nos oportet: nempe *CHRISTUS* ibi vocatur ἡπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ h. e. Dei. Ita vero Filium quoad divinam naturam vocari, inde apparet, quod arctissime jungantur haec verba cum φέρων κ. τ. λ., ita ut ad Dei dextram sedere potuerit, *quoniam* etc., quatenus est Dei filius<sup>4)</sup>. Hunc verum esse cogitatio-

1) V. Hengstenb., *Christ.* I. 1. p. 100 sq. Eandem sententiam jam proposuit D. Ringmacherus, in *Diss. de Ps. II: 7*, Jenae 1731, qui sic vertit, p. 33: *Jehova dixit ad me, filius meus tu es, ego hoc tempore, me ab aeterno te genuisse, certo declarabo*; ad quem sensum probandum provocat ad grammaticam rationem, ad totius Psalmi scopum et nexum, atque ad N. T. loca: »Demonstravit autem,» inquit, p. 37, »hoc ipsum toties, quoties vel facta, vel verba divinitatem Christi loquebantur.» Referrî omnino etiam meretur interpretatio, quâ explicetur: »tam certo es Filius meus, »ac si te hodie genueram;» nam et sic propria servatur notio.

2) De προτοτύπου significatione cf. Abr. ad h. l.

3) Egregie hanc explicationem probavit A. H. Contra Bleekius haec verba ad tempus ante Christi in terram adventum refert.

4) Recte nostrates verterunt per: *alzoo hij is etc.* Vid. Griesb. in *Disp.* mox laudandâ, p. 196 sq. Cf. Thol. et Bl. ad h. l.



num nexum, ipsa verborum constructio docet: κληροόμενον ἔθηκε, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, et: ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐκάθισε, ὡν ἀπαύγασμα, φέρων τε τὰ πάντα. Christus igitur erat *imago*, *archetypo* suo planissime conveniens, simulacrum ad vivum expressum, atque *exemplar* (proprie signum nummis vel annulis impressum), suum perspicue referens *πρωτότυπον*<sup>1)</sup>. Jam qui naturam majestatemque divinitam non aliquatenus, sed perfectissime planissimeque refert, communem et ipse habeat cum Deo essentiam necesse est. Deus vero cum nec videri, nec cogitatione comprehendi possit, in Filio cernitur seque manifestat<sup>2)</sup>.

B. Ad summam illam prae Angelis praestantiam ob oculos ponendam, *secundo* loco provocat ad *praeexistentiam* Filii. Hanc vero ei tribuisse nostrum satis luculenter nobis apparet, attendentibus ad s. 2, 3, 10—12. Ideo enim Deus omnium rerum dominum eum constituit, quia olim ipsi detulerat mundum condendum, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε. Per *αἰῶνας* coelum et terram, sive rerum universitatem esse intelligendam, videre est e totâ hujus epistolae ratione, e loco parallelo XI: 3, e nexu et structurâ hujus loci, atque e collatione cum s. 10-12<sup>3)</sup>. Quae rerum universitas quum per Filium creata dicitur, nihil aliud significari potest, quam vi atque efficientiâ Filii facta esse omnia. Unde non intelligimus, quare GRIESBACHUS<sup>4)</sup> a vulgatâ, auctoritateque

1) Idem indicat Paulus, Phil. II: 6, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων. Cf. Abr. ad h. l., et C. G. Mollerus, *de genuinâ vocum χαρακτήρ et ὑπόστασις significatione*.

2) Recte Tholuckius: »Gott findet sich wieder und reflectirt im λόγος » als im seinem Andern.»

3) Horum quatuor argumentorum vim copiose exposuit J. J. Griesbachius, in *Programm. de mundo a Deo Patre condito per Filium, ad locum Ebr. I: 2*; quod invenitur in ejus *Opuscul. Acad.* II. p. 186-207. Cf. Bleekinsadh. l.

4) V. ejus Progr. I. l. p. 200 sqq. Contra quam Griesbachii sententiam, horum *Opuscul.* editor Gablerus nonnulla animadvertit in *Praefatione*, t. II, p. L-LVI. Cf. Abr. et Bl. ad h. l.

omnium Graec. Codd. munità lectione recesserit, proque eâ ponendum conjecerit *διότι*. Neque audiendus est GROTIUS, qui *δι' οὗ* positum esse vult loco *δι' ὧν*, *propter quem*, cui opinioni, ét orationis nexus, ét loquendi usus repugnant. Quae igitur hac sectione de Filio dicuntur, s. 10-12, verbis e Psalmo CII sumtis, copiosius proferuntur. Nonnulli quidem hoc enunciatum ad Deum Patrem referunt; quo vero jure ipsi videant; nam ex aretissimo atque indivulso orationis nexu sponte patet, inceptum de Filio sermonem continuari<sup>1)</sup>. Minus certo nobis constat, utrum *καὶ* hoc loco per *nam* possit verti<sup>2)</sup>; quod pulerum hunc praeberet sensum: „Filius „ summum tenet imperium, et huic negotio gerendo par est: „ *nam* coelum et terram condidit;” atque plaue conspiraret cum s. 2 argumentatione. Quidquid est, certo certius constat, per Filium mundum fuisse creatum statuisse scriptorem.

At non creationem tantum, sed conservationem etiam hunc ei adscripsisse apparet: dicitur enim *Φέρειν τὰ πάντα τῷ κόσμῳ* *ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ*. Per *τὰ πάντα mundum*, *rerum universitatem* indicari, non est quod probemus. *Φέρειν* vero est ea *sustinere* et *conservare*, quemadmodum *שׁוֹמֵר* occurrit Jes. XLVI:3, et LXIII:9; *κόσμος δυνάμει* est *voluntas omnipotens*, quae nutu suo efficit, ut creaturae ét existant ét existere pergant, coll. XI:3. Quae omnia quum animadverterent lectores, non potuerunt non evinci, Filium Angelis, per illum creatis, multo esse excellentiorem.

C. *Tertia* insuper instituitur comparatio, ad demonstrandum, CHRISTUM esse totius hujus universi dominum et gubernatorem, Angelos vero ejus ministros, quibus in administrando imperio ad exsequenda sua mandata utatur. Ita enim s. 7 pergit: *Quod attinet ad Angelos dicitur quidem: Facit Angelos suos ut sint venti, et ministros suos ut sint*

1) Pluribus si quis indigeat argumentis, adeat Abr. ad h. l.

2) Quod statuit Griesb. l. l. p. 199.

*ignes flammantes, instar fulguris, ad celerrime exsequenda jussa paratissimi.* Quae quare in Psalmo CIV:4 ita verti non possint, equidem cum *ῥωλυκτιο* non video. Quidquid vero est, hoc certe constat, scriptorem, Versionem Alex. secutum, sic interpretatum fuisse. Quod eo minus foret mirandum, si statuere liceret, cum existimasse, Deum in rebus et causis insignioribus ministerio Angelorum uti 1). (Vidd. Ps. LXVIII:18. 2 Reg. XIX:35. Jes. XXXVII:36. Act. XII:23.) Quod vero attinet ad Filium, de illo haec dicuntur: *Tuum, o Deus, imperium*, et quae plura e Psalmo XLV deprompta sequuntur 2). Scriptor vero haec verba citans divinum *Ἰησοῦ*, utpote *Messiae*, celebrare voluit imperium; nam *ἡρξεν* denotat *inaugurare*, constituere ad munus (Act. X:38. Jes. LXI:10). Quocirca exprimitur h. l. praestantia regni *Ἰησοῦ* *Christi* prae omnibus regnis humanis. Illi vero divinam adscribi naturam quisque videt. Jam antea s. 2-4 de hoc imperio locutus erat noster; nam s. 2 legimus: ἐν (sc. ὑδν) ἔθηκε κληρονόμον πάντων, quae verba utrum ad imperium ante mundum conditum, vel potius ad *θεάνθρωπον*, uti plurimi monent, sint referenda, disputatur. Qui prius statuunt 3) provocare solent ad verborum nexum; sed recte procedit oratio, ubi vertimus: „Eundem illum, qui Filius „est, Deus constituit heredem omnium, quod fieri potuit, „quia per eum” etc.; neque perspicimus, cur Filius dici non potuerit accepisse dominium; reputantes ubivis ita rem proponi, ut Filius existere dicatur per Deum Patrem, atque κληρονομεῖν significare *jure suo, tamquam Filius, possidere*. Sed vel sic tamen hic non anxie discernendum putamus; cum et ipsos sacros scriptores totam *Christi* personam, indi-

1) Cf. Olshausenus, *Comm. in N. T. I. 1.* p. 46.

2) De ipso Psalmo eff. Hengst. *Christ. I. 1.* p. 109-127, et Bleekius, ad h. l. qui in oppositas prorsus abeunt partes.

3) Inter alios nominare sufficit Bleekium, qui utriusque sententiae patronos accurate recenset.



vulsam illam, considerasse constet. Quà vero ratione de utriusque naturae conjunctione sit statuendum, hanc quaestionem noster minime solvit. Nimirum sufficiebat ei, totius JESU CHRISTI personae praestantiam celebrare atque in luce ponere <sup>1)</sup>).

Sect. vero 3 et 4 respici ad θεάνθρωπον, illamque μεγαλωσύνης, quam in coelo, tamquam praemium redemptionis, est consecutus, diserte docet contextus, cum proxime praecedat, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμόν ποιησάμενος τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν, et formula ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, pro quâ VIII: 1 legitur ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, atque XII: 2 simpliciter ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ. — Accedit quod dicitur factus, redditus fuisse: nam illud γένομενος sine dubio proprie est capiendum <sup>2)</sup>). Formula autem ad Dei dextram sedere, ex Psalmo CX: 1 sumta, qui Psalmus s. 13 diserte citatur, secundum loquendi usum apud Orientales significat consortium imperii pari jure et majestate <sup>3)</sup>); ita ut Messias h. l. describatur tamquam rex, cui omnia subjiciuntur: nam aliquando futurum est, ut omnes hostes ejus potestati prorsus subjiciantur. Nullum vero Angelorum Deus secum regnare voluit, ut CHRISTUM; constituit omnes non nisi ministros suos. Ipsi adeo Angeli CHRISTI imperio subjecti, ejus ministri sunt <sup>4)</sup>). Licet igitur scriptor concedat, Deum in gubernando hoc terrarum orbe sub V. T. Angelorum usum fuisse ministerio, in posterum tamen, N. nempe T. diebus, qui ἡ οἰκουμένη ἢ μέλλουσα vocantur, CHRISTI regnum multo sublimius illorum loco substituitur (II: 5).

1) Cf. Calvinus, ad h. l., sobrietatem hac in re suadens.

2) Cf. Abr. et Bl.; neque Palmius alique sunt audiendi, qui idem quod εἶναι esse monent.

3) Bleekius hoc de formulâ Hebr. negat; quo vero jure non perspicio. Cf. Knappius, De J. C. ad dextram Dei sedente, in ejus Scriptis varii argum. t. II.

4) Hoc quoque indicare videtur s. 14. Cf. Abreschius, ad h. l., et Prius, in diario: Voor Chr. van den besch. stand, 1842, IV. 189.

Quae omnia si tenemus, colligere inde nobis licet, scriptorem CHRISTUM sibi proposuisse, tamquam omnium rerum gubernatorem et dominum, quod dominium acceperat post opus suum terrestre peractum, quodque ei deferri potuit, quoniam per eum, Filium Dei, mundus creatus erat, atque conservabatur. Hoc vero imperium, si ejus amplitudinem spectas, in omnem hanc rerum universitatem extenditur; et quod ad tempus, quo duraturum sit, attinet, *aeternum* dicitur, adeoque finem non habiturum. Ejus thronus in seculum seculorum erit, ejusque dies non cessabunt (s. 8 et 12; coll. VII: 24).

II. Eundem vero, qui Dei filius erat, *verum hominem* habuisse hujus epistolae scriptorem, jam exponamus; prius tamen nonnulla de c. II universe monebimus. Multi fuerunt Judaei, quibus humilis conditio ac praesertim perpassiones et mors *Messiae* offensioni erant. Quorum dubitationes, quibus sensim ab Evangelio alieniores reddi poterant, tollere studens scriptor, non nisi ἐν παραβολῇ primis capitibus de JESU humili vitâ atque morte loquitur; de exaltatâ tantum humanâ ejus naturâ deinde agens (II: 9-18); perpassiones denique mortemque ut sacrificium pro peccatis proponens, consilium Dei sapientissimum et benignissimum, hac in re in primis conspicuum, celebrat, atque de gloriâ, quam consecutus est, verba facit. — Hacc enim causa videtur, quare, praestantiâ Filii prae ministris celebratâ, de humanae JESU naturae gloriâ mentio injiciatur: ad quam probandam Psalmus VIII laudatur, de quo supra jam vidimus (5-9). Quod vero ad humilem ejus attinet conditionem, βραχὺ τι, per breve duntaxat tempus obtinebat, ut fructus quam maxime salutare exhiberet; quod duplex consilium, alterum a parte Dei (s. 10), ab hominum parte alterum (9<sup>o</sup>, 11-16), in fine hujus capituli copiosius exponitur.

Quae si rite de orationis serie disseruimus, jam ex hacce epistolâ scriptoris sententiam eruamus de JESU vero homine, deque humanae naturae, a Dei Filio acceptae, consilio.

A: Ad locos, JESUM vere humanâ gavisum esse naturâ probantes, minime cum antiquioribus referre possumus II:16, σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, nam ἐπιλαμβάνειν h. l. = βοηθῆσαι esse sumendum inter omnes fere interpretes hodie nos constat<sup>1)</sup> (coll. VIII:9). Sed diserte hoc indicatur s. 14: Ἐπεὶ οὖν τὰ παῖδιά κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν. Etenim per αἷμα καὶ σάρκα humanam indicari naturam ét aliunde ét e contextu patet, adjunctâ tamen utique infirmitatis et humilis sortis notione<sup>2)</sup>. Hanc autem naturam παραπλησίως, id est prorsus assumpsit; quocirca hunc locum contra *Docetas* jure attulerunt patres<sup>3)</sup>. S. 17 dicitur κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, quod iisdem fere verbis IV:15 exprimitur per: πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα καὶ ὁμοίότητα, χωρὶς ἁμαρτίας. Antea igitur homo non erat, sed similis hominibus redditus est, humanâ carne et sanguine assuntis. Idem denotat scriptor, cum scribit II:9 JESUM (humanae naturae denominationem attendatis, quaeso) βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἡλαττωμένον fuisse; quod iisdem e Psalmo sumtis verbis de homine universe spectato monuerat s. 7. Quid? quod de diebus τῆς σαρκὸς αὐτοῦ (V:7) loquitur, dum hominem JESUM perpassiones mortemque subiisse atque ita perfectum fuisse redditum, tamquam ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας, atque πίστεως τελειωτὴν (II:10. V:8, 9. XII:2), diserte monet. Quibus omnibus hoc tandem addi potest, eum Sacerdotem proponi ex hominibus sumtum (V:1), atque e tribu *Judae* originem ducentem (VII:14). Quae omnia luculenter docent, quam longe abfuerit noster a *Docetismi* errore<sup>4)</sup>.

1) Antiqua interpretatio adhuc superest in *Carm. Euang.* 113, v. 4: »Gij »naamt der engelen natuur" etc. Unus loco omnium vid. Bleekius, ad h. l. Cf. J. F. Schleusner, *Lex N. T.*, in voce.

2) Cf. Abr., *Theol.*, Bl.

3) Abr. ad h. l.: »absolutam indicat aequalitatem."

4) Verissime cl. Scholten, in *Or. laud.*, p. 67: »Universe," inquit,



Sed homo fuit *χαρὶς ἁμαρτίας* (IV: 15); fuit sacerdos *θεῖος, ἄκακος, ἁμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, ὃς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὡς περ οἱ ἱερωεῖς, πρῶτον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν* (VII: 26, 27); fuit tandem *εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένος* (s. 28). Sibi satisfacere nequit scriptor in verbis, eandem rem exprimentibus, cumulandis, quo magis perfectam illam, atque omnibus suis numeris absolutam *καρῆς* sanctitatem celebret. Ab omni vitiositate immunis erat, nullaque peccati labe contaminatus, nihil commune habens cum sordibus <sup>1)</sup>.

Ob tantam virtutem et obedientiam digna tulit a Patre praemia. Idem *Jesus*, qui per breve tempus Angelis inferior fuerat, *διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξην καὶ τιμὴν ἑστεφανωμένος* erat (II: 9). Unde jure merito concludere licet, humanam etiam *καρῆς* naturam hujus gloriae participem esse factam: nam disertius hoc indicare vix potuisset scriptor. De quibus tamen cum infra monituri simus, nunc verbo ea attigisse sufficiat.

B. Quod si porro quaerimus, cur Dei filius humanae naturae particeps redderetur, triplex in hac epistolâ nobis indicatur consilium.

1. Etenim *primum* cum verus esset homo, easdem, qui-

» autem in nullâ fere Evangelicâ descriptione *humana* Christi natura con-  
 » sequentius est proposita, ejusdemque dogmaticum momentum evidentius  
 » expositum, quam in epistolâ ad Hebr. Cf. II: 6 18. IV: 15. V: 7-9.  
 » XII: 2, ut adeo Tholuckius contendat in comment. ad Hebr. XII: 2:  
 » Uebehaupt ist der Hebräerbrief in einem solchen Grade dem *Doketismus*  
 » und *Apollinarismus* entzogen, dass wenn sich nicht wiederum Stellen,  
 » wie Cap. I: 2 fände, die Aussprüche desselben zu einer *ebionitischen*  
 » oder *socinianischen* Ansicht von der Person Christi leiten könnten." Cf. de hac utriusque naturae conjunctione, in ep. ad Hebr. propositâ, A. F. L. Pelt, *Theol. Encycl.*, § 41. p. 270.

1) Haec adhuc simplicissima nobis videtur interpretatio, quâ verba *κεχωρισμένος* κ. τ. λ. ad vitam Jesu, in hac terrâ versantis, integerrimam referantur. Bleekius vero ea ad ejus in coelum aditum refert, nullo tamen addito satis gravi argumento.

bus humana natura obnoxia est, infirmitates miseriasque experiri, mortemque pro hominibus obire potuit. Nam ἵνα ἐλεήμων γένηται, inquit scriptor, καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεόν, εἰς τὸ ἰλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ. Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι (II:17, 18). Οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθεῖν ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἁμαρτίας (IV:15; coll. s. 16). Ita χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς mortem gustare potuit, atque morte suâ ea omnia efficere, quae hominibus σωτηρίαν afferrent (II:9, 10, 14).

2. Deinde arctissima nobis cum eo necessitudo intercedere debuit, ut nobis dux ad aeternam felicitatem evaderet, nostramque naturam ad summum sanctitatis beatitudinisque fastigium eveheret. Ὁ τε γὰρ ἁγιαζὼν καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι, ἐξ ἐνὸς πάντες (II:10, 11). Unus ex hominibus esse debebat<sup>1)</sup>, nam naturae communitas, quae CHRISTEM inter obtinet et homines, ex Dei consilio, indicari videtur. In eâ enim causa latebat, cur ille pro his mortem gustare posset, atque totum genus humanum, quatenus ipsi fide esset conjunctum, ad Deum reducere. Quocirca consentaneum erat, ut homo esset is, quem hominibus praeficere, et cui salutis hominum curam committere Deus constituerat (II:6-9). Sic in eo conspicimus gloriam, quae nobis destinata est et ad quam adspirare nos oportet.

3. Verus tandem homo, isque integer et sanctus idcirco esse debuit e scriptoris doctrinâ, ut perfectum omnibusque numeris absolutum praebere nobis posset exemplum. Itaque similis nobis fuit per omnia, uno tantum peccato excepto, a quo immunis fuit (VII:26). Etenim ut τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν JESUM considerat scriptor, eumque nobis exemplum proponit (XII:2).

<sup>1)</sup> Ἐνδε, scilicet γένους vel σπέρματος (cf. Act. XVII:20). Vid. Abr. ad h. l.

## § 2.

*Praestantior MOSE.*

Pergit scriptor in exponendâ personae christi dignitate et praestantiâ, institutâ illius cum MOSE comparatione, magno olim Dei interprete, et apud *Judaeos* internuntio (III: 1-6). Jam c. II: 17, 18 de summo Sacerdote mentionem iniecerat; sed locum de christi sacerdotio copiosius tractaturus, prius ostendit christum MOSE longe esse excellentiorem. Solebant enim *Judaei Messiam*, ad intelligendam ejus majestatem, comparare cum viris insignis alicujus dignitatis. Nullius autem apud Hebraeos celebritas et auctoritas cum MOSE erat conferenda, cui lex per Angelos data dicebatur (II: 2). Egrege haec comparatio faciebat ad consilium scriptoris assequendum, datisque hortationibus (III: 7—IV: 13) vim addendam. In hac autem re ita versatur, ut *cum* amborum similitudinem, *tum* christi prae MOSE praestantiam exponat.

CHRISTUS hic vocatur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν: quo vero sensu disputatur. Omnino rejicienda videtur multorum sententia, qui ἀπόστολον et ἀρχιερέα idem indicare putant; namque ἀπόστολον idem esse atque Hebr.  $\text{תִּלְגָּוִשׁ}$  = ἔγγυος (VII: 22) numquam probari potest<sup>1)</sup>. Sed proprie sumendum videtur hoc vocabulum de legatione christi has in terras: nam 1. saepius dicitur in Scripturâ s. missus esse a Patre; tum 2. c. 1: 1 jam tamquam legatus divinus et Prophetis et vero etiam MOSE opponitur (coll. II: 3. III: 5); 3. vaticinium (Deut. XVIII: 15) ansam ei dare potuit, ut hocce nomine *Messiam* vocaret. Additur vero ἀρχιερεὺς,

1) Hanc sententiam iterum defendit Tho1., sed negarunt Abr., Kuin., Bl.: nam 1. non de legato hominum ad Deum, sed Dei ad homines sermo fit; 2. probari nequit hanc appellationem jam tunc in usu fuisse, cum noster hanc epistolam scriberet.



quae denominatio quam saepissime de christo occurrit. Utrumque nomen ad MOSEM quoque referendum esse, verosimile nobis videtur. Quod ad ἀπόστολον, omnes fere consentiunt. Quare autem MOSES cum JESU ἐρχιερεί comparari non possit, haudquaquam perspicimus <sup>1)</sup>. Nonne ille itidem, oblique certe μεσίτης vocatur, cum (IX: 15. XII: 24) N. F. mediatori opponitur? Nonne ille quoque pro populo intercedebat apud Deum? Nonne medius erat Jehovam inter et Israëlitus? Nonne ille quoque πιστός vocatur, prouti christus Sacerdos? Lubenter tamen concedimus, JESUM multo eminentiori sensu ita vocari potuisse.

Deinde utriusque πίστις celebratur: nam uterque religiose est versatus in administrando munere, ipsi demandato <sup>2)</sup>. De MOSE Num. XII: 7 hoc diserte praedicatur; atque de CHRISTO c. II: 17 idem jam affirmaverat scriptor. Verum CHRISTUS longe illi praestiterat, et duplici quidem ratione.

I. Ac primum quidem tamquam universae domûs Dei, tam V. quam Novae, conditor et conservator (s. 3, 4). CHRISTUS dicitur κατασκευάζειν οἶκον: nam etiamsi generalis sit sententia, ad CHRISTUM tamen eam a scriptore referri constat. Eo majorem honorem meretur et nanciscitur prae MOSE, quo magis existimandus est ille, qui domum fundat et instruit, quam domus ipsa et qui ad eam pertinent. Κατασκευάζειν enim et construendi, et rebus omnibus ne-

1) Abr. hoc acriter negat, sed aliter judicat Bleekius. Calvinus tamen verba digna sunt, quae hic addantur: » Duobus elogiis ipsum ornat, sicuti » duplicem sustinet personam in Ecclesiâ Dei. Moses Prophetæ et Doctoris officio, Aïron sacerdotio functus est. At Christo utrumque munus est impositum.»

2) Ποιέειν h. l. cum Bl. minime explicandum videtur creare, licet de humanâ Christi naturâ fortasse usurpari potuerit; sed facere, constituere: nam usus loquendi satis firmus est. Cf. Gesenius, in v., et Abr., Kuin., Theol. Dein contextus hanc significationem postulat; refertur enim ad s. 1.

cessariis *instruendi* significationem habet<sup>1)</sup>. Atque MOSES eo facilius cum *οἶκῳ* comparari potuit, quoniam ad *οἶκον* simul familia est referenda. Jam sequitur sectio, cujus omnes, quae exstant, interpretationes afferre et longum est, et a nostro proposito alienum. Simplicissima autem explicandi ratio haec videtur: cum s. 3 Veteris oeconomiae exstructio ad CHRISTUM relata erat, hoc magis explicat scriptor s. 4. h. sensu: Ne hanc rem miremini; nam unaquaeque domus, atque adeo etiam *Israëliitarum* Theocrazia, ab aliquo fundatur, (per CHRISTUM condita esse potest), et vel sic tamen auctor primarius, qui hanc omnem, tam V. quam Novam, constituit, manet Deus<sup>2)</sup> (cf. 1 Cor. XI: 12).

II. Praeterea mosi longe antependendus erat CHRISTUS, quippe qui fuerit legati munere functus, non ut *θεράπων*, qui ipse pars esset domus curandae, sicut MOSES; sed ut Dei filius atque illius familiae princeps (s. 5, 6). MOSES quidem *πιστὸς* est *ἐν ὄλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ*<sup>3)</sup>, CHRISTUS vero *ἐπὶ τὸν οἶκον*. Quid? quod tale intercedebat inter utrumque discrimen, quale famulum inter et filium. Totum vero mosi ministerium non excessisse conditionem administri Dei, quamquam primarii, vere hinc collegeris. Refertur enim ad *θεραπείαν*, quā, quidquid famulorum, ministrorum, etiam servorum, in domo sit, continetur. Ἐπὶ contra, prouti Hebr. *לך* et *לך*, excellentiam, imperium, potestatem designare, recte animadverterunt interpretes. Quominus vero cum nonnullis s. 6 *οἶκον αὐτοῦ* per *propriam domum* vertamus, impedit lectio-

1) Cf. Abr. et Bloekius ad h. l.

2) Ita Thol. et Bl., quod prorsus convenit cum hujus epistolae doctrinā de Deo per Filium operante.

3) Disputari potest, utrum verba *εἰς μαρτ. κ. τ. λ.* ad V., vel ad N. T. sint referenda. Posterius Nostrates in versione (vocem *daerna* interpolantes), et inter recentiores Thol. (ne alios laudemus) praeferunt. Nobis tamen adhuc verosimilior videtur eorum sententia, qui ea intelligant, quae essent a Mose Dei nomine populo *tradenda*. Cf. Abr., Kuin., Bl., Steinius.

nis incertitudo: nam ad Deum potius referenda videntur haec verba<sup>1)</sup>. Quidquid est, summâ christi prae mose praestantiâ satis a scriptore probatâ, lectores suos cohortari pergit ad constantem religionis Christianae professionem: quae tamen h. l. ulterius persequi nobis, ex nostri propositi ratione, non licet.

Aliis quoque locis, X: 28, 29, et XII: 24, 25, mosi opponitur christus, tamquam Dei filius atque N. T. μεσίτης. Moses enim ibi dicitur ὁ ἐπὶ τῆς γῆς χρηματίζων, christus vero ὁ ἀπ' οὐρανῶν, sc. χρηματίζων<sup>2)</sup>, qui et hodie e coelis ad Christianos loquitur. Sed quum obliqua tantum, neque omnibus dubiis major hic inveniatur oppositio, neque multa, quae ad dogmaticam pertineant, hisce contineantur, de iis plura dicere non opus videtur.

### § 3.

#### *Praestantior summo Sacerdote.*

Ad gravissimam totius hujus disquisitionis partem jam ac-

1) Vidd. Calv. et Abr., quorum posterior de iis, quae sequuntur, οὐ οὐκὸς ἔσμεν ἡμεῖς, haec habet: » Igitur Christiani dicuntur nostro loco domus, » i. e. familia, coetus, populus Dei, cui imperat Christus, sicut ante Isra- » ἔλιται fuerant gens Dei, cui praefectus erat Moses." — Böhmius, Kuin. et Steinius legunt αὐτοῦ. Thol. et Bleckius contra, licet legant αὐτοῦ, illud tamen ad Christum referunt.

2) Ita statuimus cum (ut antiquiores omittamus) Cramero, Storrio, Böhmius, Kuin., Paulo; atque indicarem, quibus de causis, ut ita sentiamus, inducti simus, nisi omnia huc pertinentia argumenta diligenter congregasset Bleckius, licet ipse, Calvini aliorumque sententiam defendens, de Deo totum interpretatus sit locum. Huic assentit Thol., qui tamen addit: » Wenn es indessen Kap. I: 1 hiess: ὁ θεὸς ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, so sieht » man, dass in den Gedanken des Vfs. die Beziehung auf Gott und auf Chri- » stum zusammenfliessen musste. Geben wir dieses zu, so werden wir auch » im Folgenden, wo die Frage: ob der ἀπ' οὐρανῶν χρηματίζων Gott oder Chri- » stus sei, so viele Untersuchungen veranlasst hat, nicht auf eine Trennung » beider Beziehungen dringen können."



cedentes, prae ceteris accurate atque lente hic festinemus, cum omnis fere nostra epistola ab hac disquisitione pendeat. Ipsum scriptorem omnium gravissimam atque simul difficillimam hanc CHRISTI cum Sacerdotibus *Leviticis* comparationem habuisse vel ex eo patet, quod, antequam copiosius hoc argumentum tractet, de lectorum inscitiâ atque imbecillitate verba faciat (V: 11-14), eosque ad fidem et constantiam adhortetur (VI). Jam antea nonnulla de CHRISTO Sacerdote monuerat (II: 17, 18); nunc vero accuratius et uberius hunc locum pertractat, suoque convenienter consilio ostendit, CHRISTUM esse verum Sacerdotem, *Judaeorum* Sacerdotibus longe praestantiorum (IV: 14—V: 10, et VII: 1—X: 18). Quo magis vero ejus mentem assequamur, *primum* quidem videamus de similitudine, quae CHRISTO cum summo Sacerdote intercederet; *tum* vero, et praecipue quidem, quantum discrimen esset inter Sacerdotes *Leviticos* et CHRISTUM, ortum illud partim ex hujus majestate, partim e ratione, quâ summus Sacerdos a Deo esset creatus, partim ex operis dignitate et excellentiâ. Quum autem nostrum ferat propositum, ut altero secundae hujus Partis Capite de industriâ indagemus, quid scriptor de salutari JESU opere senserit, h. l. nonnulla tantum magis universe monebimus de imaginibus, quibus usus est, deque harum sensu 1).

---

1) Conferri hac de re merentur J. J. Griesbachius, *de imaginibus Jud., quibus Auctor ep. ad Ebr. in describendâ Messiae provincid usus est*; quo Diss. inserta primum est in J. C. Velthusenii, C. T. Kuin., et C. A. Ruperti, *Commentt. Theol.* II. p. 327 sqq., dein in ejus *Opp. Acad.* II. p. 426-455; — C. Chr. Tittmannus, *Progr. de notione Sacerdotis in epist. ad Hebr.*, in ejus *Opuscul. Theol.* p. 211 sqq.; — J. A. Lotze et G. Hesselink, in *Disputt. over de begrippen, die de Schr. van den br. aan de Hebr. had aang. het hoogep. v. J. C.*, 1798, a Soc. Hag. praemio ornatis; J. F. Winzerus, *de Sacerdotis officio quod Christo tribuitur in ep. ad Hebr.*, Lips. 1825; Wettius, *Ueber die symb.-typ.-Lehrart*, p. 21 sqq.; Tholuckius, *Zweite Beil., die Opfer- und Priesteranstalt des A. T. und Chr. als Opfer und Priester im N. B.*; A. Rutgers van der Loeff,

I. Ac similitudo quidem, quam scriptor noster indicat, haec est:

A. CHRISTUS est *summus* noster *Sacerdos*, ἀρχιερεὺς (II: 17. III: 1. IV: 14. V: 10. VI: 20. VIII: 1. IX: 11) sive ἱερεὺς μέγας (X: 21). Et duplici quidem ratione cum s. Sacerdote recte comparatur CHRISTUS. Quemadmodum enim s. Sacerdos *Israëliturum* crimina expiabat, eaque ratione efficiebat, ut in gratiam redirent cum Deo: idem *Christiani* CHRISTO acceptum referunt, quippe quo interveniente eorum peccata a Deo condonentur. Deinde, sicut *Israëlitae* peccantes a Deo arcebantur, sed a s. Sacerdote ad Deum reducebantur: ita et *Christianis* existit CHRISTUS ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας (II: 10. V: 9. XII: 2), ut summâ cum fiducia, qualis filios decet erga patrem, accedere ad Deum ipsis liceat. Minime igitur illis assentire possumus, qui notionem Sacerdotis plane eandem habeant ac *Servatoris* 1): nam inanibus tum imaginibus, quibus nulla inesset vis, scriptor usus fuisset; quod sine satis firmis argumentis statuere nefas est. Concedimus quidem σωτήρος etiam notionem in censum venire, sed quominus *expiatoris* notionem negligamus, impedit generalis *Sacerdotis* notio apud omnes antiquos populos, atque in primis apud *Israëlitae*.

B. Ut summus Sacerdos, qui hominum causâ constituitur, ex hominibus 2) sumitur (V: 1); ita CHRISTUS *homo* esse debuit (II: 11, 14, 16, 17. IV: 15. VII: 26, 27): nam sic potest hominum peccantium misericordiâ tangi (II: 17, 18. IV: 15. V: 2). Talem eum esse, vel exinde constat, quod ipse multis exercitatus fuit calamitatibus (II: 18. IV: 5). Ex-

---

Disp. over het verschil tusschen de Moz. offeranden en het offer door J. gebracht, volg. den S. van den br. aan de Hebr.; in *Diario W. in L.* 1839, II. p. 229-288.

1) Temere ita statuit Tittmannus, in *Diss. I.*, et Doederleinus, *Theol. Bibl.*, P. 3, p. 77. Contra eos discrimen defendit Lotzius. I. I. p. 38 sqq.; notionem Sacerdotis in primis exponit, p. 44 sq.

2) Cf. Rutg. v. d. Loeff, in *diario W. in L.* II. 1844, p. 308 sq.

perientiã edoctus probe novit, quam acerbum sit, doloris sensu afflicti; ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται ταῖς πειρασζομένοις βοηθῆσαι (II:18). Quid vero scriptor senserit de causis, cur Dei Filius homo fieri debuerit, jam supra vidimus. In eo quod nostrae naturae socius factus fuit, salutis nostrae fundamentum esse positum, diserte indicavit<sup>1)</sup> (II:11).

C. Uterque a Deo summus Sacerdos constituitur (V:4-6, 10). Prouti enim nulli eorum licebat sponte suã sibi sumere honorificum munus, neque αἰῶν se ipse constituit (VII:9, 10): ita nec CHRISTUS sibi ipse sumsit honorem dignitatemque pontificiam. Ad quod comprobandum, duo loci adducuntur e Ps. II et CX, ubi hoc diserte de CHRISTO enunciatur. Totam igitur nostram salutem a Deo repetendam esse dilucide edocemur<sup>2)</sup>.

D. Quum vero praecipuum summi Sacerdotis munus cerneretur *cum* in sacrificiis offerendis, quibus populus expiaretur, *tum* in sanguine in sacrarium inferendo (V:4. VIII:3. IX:6, 7, 22. XIII:11): CHRISTUS etiam sacrificium peregit (VIII:3), cum ipse morti sese obtulerit (IX:14, 15), et cum sanguine suo coram Deo in coelesti sanctuario comparuerit (IX:11, 12, 23-26). Morte enim suã sanguinisque adspersione nos a poenã liberavit, et peccatorum remissionem

1) Philosophã ratione, quã saepius suas sententias involvere solet, Schleiermacherus hoc innuere videtur, in ejus *Glaub.* II. § 125, 2: » — so » dass abgesehen von der Verbindung mit Christo weder ein einzelner Mensch » an und für sich, noch irgend ein bestimmter Zeitraum des Gesamtlebens » der Menschen an und für sich gerecht ist vor Gott. In der lebendigen » Gemeinschaft mit Christo aber giebt es Jeder auf, etwas an und für sich » seyn und so auch von Gott an und für sich betrachtet seyn zu wollen, » sondern nur in der Gemeinschaft mit ihm als ein von ihm beseelter oder » noch in der Entwicklung begriffener Theil seiner Erscheinung;'' quae verba laudat Thol., *Beil.* p. 102. Sed prae ceteris lectu est dignissima Anonymi epistola, *An diejenigen, welche sich nach beruhigender Einsicht in die Lehre von Versöhnung und Genugthuung sehnen*, quae invenitur in J. L. Ewaldi diario jam l., *Ueber Predigerbesch.* etc. VI. p. 1-15.

2) Cf. Rutg. v. d. Loeff, in diario *W. in L.* II. 1844, p. 306 sq.



nobis comparavit, jamque in coelum exaltatus salutis nostrae curam gerit. Nisi igitur cunctis his sacrificii piacularis imaginibus temere lusisse scriptor sit censendus, verae notionis vis emergat necesse est; quâ servatâ, non facile quis nihil hisce inesse, quam Servatoris notionem statuet.

Et haec praecipua sunt, in quibus summus Sacerdos et christus sibi invicem respondent. Jam porro indagemus, quid docuerit scriptor de iis, quibus christus Sacerdotibus *Leviticis* antecelluerit.

II. Hanc autem dissimilitudinem cernimus, ubi ad majestatem *personae* ejus, ad *viam*, quâ Pontifex factus sit, *rationemque*, quâ sit inauguratus, et ad ejus *munus* attendimus.

A. Majestas enim christi *personae* fuit prorsus *unica et singularis, sancta, aeterna*, atque *illustris*.

1. Plurimum differt a Sacerdotibus, qui in his terris operantur, iisque multo est perfectior; μέγας ideo ἀρχιερεὺς vocatur (IV: 14. X: 21), qui coelo ipso sublimior est factus (VII: 26). Est ἐλεήμων καὶ πιστὸς τὸ πρὸς τὸν θεόν (II: 17), δυνάμενος συμπάῃσαι τῷ ἀσθενείᾳ ἡμῶν (IV: 15. V: 2). Quâ in re quam maxime differt noster Sacerdos ab *Israëlitum* Sacerdotibus, quorum multi minime erant laudandi. Pontifices in primis *Judaici* illorum temporum in universum spectati, ingenio erant duro atque inexorabili, ut neque misericordiâ, neque precibus molliri possent. Hisce vero *Jesus* opponi videtur<sup>1)</sup>. Hi meri erant homines, peccato mortique obnoxii (VII: 23, 27, 28): christus contra υἱὸς τοῦ θεοῦ erat (IV: 14. V: 5, 8. VII: 28), ut non solum Sacerdotibus terrestribus, sed ipso etiam coelo et Angelis longe sit excelsior.

2. Sed multo etiam *sanctior* est. Illi quidem pro suis peccatis sacrificium offerre debebant; nam infirmitate laborabant (VII: 27, 28): hic vero χωρὶς ἁμαρτίας hominibus

1) Cf. Abr. ad IV: 15.

in omnibus erat simillimus (IV: 15); quippe qui ὅσιος es-  
set, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν  
(VII: 26).

3. Praeterea, *aeternus* est Sacerdos. *Levitici* Sacerdotes  
mortales erant, morteque prohibebantur, ne permanerent in per-  
petuum (VII: 23): hic autem, quia perpetuo manet, immuta-  
bile habet sacerdotium (VII: 24). Nam non secundum legem  
mandati carnalis factus fuit, sed κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκατα-  
λάτου (VII: 16), ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα (VI: 20).  
Quocirca penitus servare potest eos, qui per ipsum Deo ap-  
propinquant, semper vivens ut intercedat pro nobis (VII: 25).

4. Majestas denique ejus personae *illustris* re verà est di-  
cenda, ipsoque coelo sublimior (VII: 26). Τοῦς οὐρανοῦς  
διεληλυθὼς (IV: 14), ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς με-  
γαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς (VIII: 1). Unde olim denuo con-  
spicietur τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν (IX: 28).  
Profecto talis et tantus Sacerdos terrestri illi Pontifici quam  
maxime excellebat!

B. Progredimur *secundo* loco ad scriptoris ratiocinationem  
de *viâ*, quâ CHRISTES summus Sacerdos factus sit, atque de  
*ratione*, quâ sit inauguratus; unde sponte sequetur, quantum  
praestiterit *Aäroniticis* Sacerdotibus.

De *viâ*, quâ CHRISTES summus Sacerdos factus sit, quæren-  
tibus scriptor nobis respondet: καὶ τελειωθείς ἐγένετο τοῖς  
ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἰτίαις σωτηρίας αἰωνίου (V: 9), υἱὸς  
nimirum εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένος (VII: 28). E quibus  
sponte efflicimus, CHRISTEM summum Sacerdotem atque ἀρχηγὸν  
τῆς σωτηρίας esse factum, postquam ipse *perfectus* esset *red-*  
*ditus* per passionibus usque ad mortem. Τελειῶειν (quod  
Nostrates in *Versione Belgicâ* perverse commutarunt cum  
ἀγιάζειν<sup>1)</sup>) sine dubio in hac epistolâ significat *perfectum*,

1) Cf. e. c. loci II: 10, 11. V: 9. VII: 28; sed X: 13 recte observant  
discrimen. Ἀγιάζειν enim significat segregare, destinare ad aliquam rem.

*consummatum reddere*, ad eum perfectionis gradum educere, cui quis destinatus, cujusque capax sit; ad perfectam igitur consummatamque conditionem perducere, quod perfectam felicitatem includit. *Interna* atque *externa* consummatio igitur rite conjungitur<sup>1)</sup>: prouti et gladiatores *τελειωθῆναι* recte dicuntur, qui defuncti certaminibus coronantur. Ita et *JESUS*, quatenus homo erat, *τελειωθῆναι* debebat, ut ipse consummatus felicitatemque praemii instar consecutus, fratres suos ad eandem perfectionem et gloriam, tamquam *ἀρχηγὸς* et *πρόδρομος*, perducere posset. Sic summus Sacerdos redditus misericors, postquam suorum peccata in terrâ expiaverat, cum sanguine suo coram Deo veniebat, suos ad Deum ducebat, eorumque causam apud Deum agebat. *Objective* cum ipse consummaretur, omnes, qui fide cum eo junguntur atque per eum *ἀγιαζονται*, jam coram Deo *τελειωθέντες* simul erant (X: 13): nam utrique ex uno erant (II: 11), atque spirituali quâdam unione artissime fide conjuncti. Sed *subjective* hoc fieri debuit in singulis: quocirca *CHRISTUS* ipse perfectus atque gloriâ affectus, *διὰ παθημάτων* simul aptus est redditus suis ad eandem gloriam perducendis. Utraque perfectio et *CHRISTI* et fidelium per perpassiones in primis efficiebatur, ita ut hisce consummarentur. *Διὰ τὸ πάθημα* enim *τοῦ θανάτου* *δόξῃ καὶ τιμῇ* coronatus est (II: 9), *διὰ παθημάτων τελειωθείς* (II: 10. V: 8-10). Ipse multis rebus adversis fuit exercitatus, *ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι* (II: 18. IV: 15). Sic ipse obedientiam didicit *ἀφ' ἧν ἔπαυε* (V: 8), Deoque lacrimas suas et preces, dum in his terris vivebat, obtulit tamquam sacrificium (V: 7).

*Judicium* quidem Sacerdotes omnium curam gerere non pot-

<sup>1)</sup> Cf. Abr. ad h. l., qui tamen p. 110 felicitatis notionem nimis urgere videtur, cum v. *τελείειν* interpretetur per *rerum omnium dominum constituere*, Rectius Thol., in *Beil.* p. 113-117, *inaugurandi* notionem nimis angustam esse monet.



uerunt; sed *christus*, licet Filius, vel sic tamen tamquam verus humanae naturae socius, non solum nihil quod humanum erat recusavit; verum sub atrocissimis etiam cruciatibus, Patris consilia exsecutus est, Eique summam fidem obedientiamque praestitit (XII: 2). Sed haec h. l. sufficiant, ad ejus praestantiam prae Sacerdotibus *Leviticis* exponendam: infra opportunitas nobis dabitur, scriptoris mentem copiosius explicandi.

Ex hisce jam sponte apparet, sacerdotium eum, postquam mortem obiisset, esse auspicatum, eodemque fungi in coelo<sup>1)</sup>. Sacerdotis munus, e scriptoris mente, tum demum adiit, cum exaltatus esset in coelum. In templo certe *Hierosolymitano* sacrificium ferre ei non licuit. Hoc enim iis tantum concessum erat, qui ex tribu *LEVI* ortum ducebant. Nec aliud in his terris habebat sacrarium, in quo operaretur (VIII: 4). Praecipuam igitur muneris Sacerdotalis functionem in coelis peragit, non vero in morte peregerat, quâ non nisi ad eam veluti praeparabatur. Sed ab alterâ parte negari nequit ad summi Sacerdotis munus sacrificandi ritum pertinere, atque, nisi victimae mactatio ponatur, ne offerri quidem posse, ita ut illa mactatio sit conditio, sine quâ oblatio obtinere nequeat. Dicitur vero *christus* post oblatam *θυσίαν*, in terrâ scilicet, ad Dei dextram sedere (I: 3. X: 12), postquam se ipsum in terrâ obtulerat (VII: 27. X: 14).

Quae si ita sint, statuendum nobis erit, in coelo demum summum Sacerdotem eum exstitisse, sed vi suae hac in terrâ factae oblationis. Nam *εἰς ἄλθευ* in coelum *διὰ τοῦ ἰδίου ἀλματος* (IX: 12), sive *διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ πεφανέρωται* (IX:

1) Ad quaestionem, utrum *Christus* in coelo demum summus Sacerdos sit dicendus, affirmando responderunt *Peircius*, *Michaelis*, *Tittmannus*, *Storrius*, *Griesbachius*, l. l. p. 436 sq., *Zachariae*, *Schultzius*, *Kuinoelius*, *Tholuckius* (apud quem eff. loci II. ad VIII: 1) et *Bl.* ad h. l.: —negando vero *Cramerus*, *Lötzius*, l. l. p. 67-70, *Gablerus* et *Winzerus*.

26), ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν (IX:24). A se invicem igitur haec divelli minime possunt: nam ἐμφανισμὸς nititur mactatione. Causa vero cur in hac epistolâ in primis opus ejus sacerdotale in coelis spectetur, in ipso scriptoris consilio est quaerenda, quo CHRISTI sacrificium praesertim cum sacrificio piaculari, solenni expiationis die facto, comparatur (V: 1-3. X: 1. XIII: 11). In hoc enim sacrificio, quia sanguinis in sacrario effusio ad peccata tegenda primas partes tenebat, tantum de ἐμφανισμῷ in Sancto sanctorum sermo erat<sup>1)</sup>. Cui accedit, quod CHRISTUS tamquam Sacerdos et sacrificium simul proponitur.

CHRISTI sacerdotii excellentia non minus nobis in oculos incurrit, ubi praeterea ad *rationem* attendimus, quâ initiatus fuit. Quod scriptor in primis innuit sub imagine Sacerdotis aeterni, MELCHIZEDECO similis. A *Leviticis* enim Sacerdotibus, hoc nomine, plurimum differt, nec successionis jure Sacerdos est factus (VII: 15): nam ne oriundus quidem e tribu LEVI fuit (s. 13, 14). Accedebat quod, jurejurando interposito irrevocabili, hoc munere a Deo est ornatus, quae jurjurandi sollemnitatis in constituendo *Aäronitico* sacerdotio, quippe olim abrogando, minime usu venit (VII: 20-22, 28).

C. Pergit scriptor in summâ CHRISTI sacerdotii praestantiâ offerendâ: nam de *munere* ejus agens, copiosius exponit, quibus illud nominibus prae *Aäronitico* emereret. Idcirco ad ejus immolationem, ad illatum in sanctuarium sacrificium, et ad novum foedus, hoc sacrificio inauguratum, accurate attendit. De hisce jam videamus.

1. Ac *primum* quidem de meliori, quod CHRISTES obtulit, *sacrificio*, quo oblato summus Sacerdos evaderet.

a. Jam hoc observatu dignum est, *Leviticos* Sacerdotes *saepius* sacrificia obtulisse: nam praeter sacrificium, magno expiationis die oblatum, *quovis* die varii generis sacrificia a

1) Vid. Docdes, I. I. p. 350 sqq., coll. p. 40 sqq., et Kurtz, p. 80 sqq.

*Leviticis* Sacerdotibus peragenda erant (X:11). Necessē habebant θυσίας ἀναφέρειν καθ' ἡμέραν (VII:27), τὰς αὐτὰς θυσίας προσφέρειν εἰς τὸ διηνεκές (X:1. IX:6). CHRISTUS vero unico sacrificio, pro peccatis oblato, ita in perpetuum suos perfectos reddidit, ut numquam nova expiatio desideretur (X:10, 12, 14, 18). Non opus habuit καθ' ἡμέραν θυσίας ἀναφέρειν. Τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ, ἑαυτὸν ἀνενέγκας (VII:27. IX:25), ἅπαξ προσενεχθεὶς (s. 28); ejusque sanguis vocatur αἷμα διαθήκης αἰώνου (XIII:20).

b. Neque est quod illud miremur: nam *Leviticis* quidem Sacerdotes hircos, boves, alia animalium sacrificabant (IX:12), αἷμα ζώων, τράγων καὶ μόσχων (IX:12, 13, 19. XIII:11), atque αἷμα ἀλλότριον (IX:25). CHRISTUS vero se ipsum Deo obtulit victimam integerrimam (IX:25, 26, 28), suumque sanguinem pro peccatis effudit (VII:27. IX:12-14. X:10. XIII:12). Quis autem illo fuerit, jam vidimus: filius nimirum Dei (IV:14. VIII:5, 8. VII:28), quod quantum efficacitatis huic sacrificio addiderit, quisque sponte observat.

Se ipsum Deo obtulit maculae expertem per Spiritum aeternum (IX:14), id est per Spiritum sanctum, qui h. l. aeternus rite vocatur, quia N. T. aeternitas in hac epistola ubivis celebratur<sup>1)</sup>. Christus, verus homo, non divinā suā naturā adjutus (ut multi volunt), licet Dei filius numquam

1) Nullus facile exstat locus, in quo explanando ita se torserunt interpretes; quorum varias sententias diligenter recensuit A. L. v. d. Boon Mosch, in *Diss. in locum ad Hebr. IX:14*; qui J. A. Noesseltum (in *Comment. inserta Opuscul. Fasc. I, p. 331 sqq.*) secutus, statuit, p. 100, » πνεῦμα hic » esse accipiendum de victimā a Christo oblata, quae ita ab auctore appelle- » tur, quia tam perfecta omnibusque numeris fuit absoluta, ut id effecerit, quod » omnes victimae ex lege Mosaicā offerendae praestare non potuerint, omnium » nimirum peccatorum expiationem." Cff. porro ipsi Interpp. ad h. l. Sententiam a nobis propositam jam quodammodo defenderunt Erasmus, Calv. » Nunc," inquit hic, » clare ostendit unde aestimanda sit mors Christi, non » ab externo actu scilicet, sed a Spiritūs virtute. Passus enim est Christus » ut homo, sed ut mors illa nobis salvifica esset, proveniebat ex efficaciā » Spiritūs." Bengelius et Tholuckius, quorum hic interpretatur: im-



non maneret, se sacrificasse videtur, sed Spiritu sancto ductus, qui numquam eum deseruit. Inde derivat scriptor vim ejus oblationis; nam in perpersionibus et morte numquam non summam erga Patrem fidem atque obedientiam praestitit. Ubivis enim hoc praesertim urget, *CHRISTUM* obedienter, voluntarie et sancte perpessum esse omnia, ita ut *πίστεως τελειωτῆς* recte dicatur (X:7. XII:2). V. T. sacrificia symbolico tantum sensu *sine macula* esse debebant: hoc vero sacrificium re verà *immaculatum* erat (IV:15. VII:26).

c. Quicumque Sacerdos, qui ex hominibus sumitur, *περίκειται ἀσβένειαν* (V:2); et propterea debet, uti pro populi, ita et *pro suis ipsius* peccatis, victimas offerre (V:3. VII:27. IX:7). *CHRISTUS* contra, omnis labis expers, opus non habuit, ut propria peccata expiaret, sed unice pro populi delictis victimam sese obtulit (VII:27).

d. De *effectibus* tandem utriusque sacrificii si quaerimus, maximum observamus discrimen. *Leviticis* enim sacrificiis nullum crimen *vere* expiari, nulla peccatorum remissio effici potuit: nam symbolicam duntaxat vim habebant. Non potuerunt *κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα* (VII:19. IX:9. X:1,2). Fieri enim nequit, ut sanguis taurorum atque

---

*pellente Spiritu sancto*, animadvertens: » Gerade durch diesen Ausdruck » giebt der Vf. des Hebräerbriefs deutlich zu erkennen, dass ihm noch nicht » das äussere Blutvergiessen als solches in der That Christi die Hauptsache » ist, sondern jener innere Akt der Darbringung, welcher dem äussern vor- » » ausgehen musste. » Sed prae ceteris secutus sum cl. Bonnetum, VI. p. 221, qui egregie h. monere videtur: » Wij hebben ons de zaak zoo voor te » stellen, dat de Zoon van God, door den Heiligen Geest, in zijne mensche- » » lijke natuur, dat alles heeft uitgewrocht, hetwelk noodig was om den mensch » Jesus Christus eenen Middelaar Gods en der menschen te doen zijn. » Recte aliquatenus Bleekius, III. p. 548, dicit: » Vielmehr ist auch nach der Ab- » » sicht des Schriftstellers eben derselbige heilige Geist zu verstehen, welcher » dem Herrn in ganzer Fülle auch schon auf Erden bewohnte. » De S. S. efficacitate in ipsa Jesu personâ continue operante, cf. S. K. Thoden v. Velzen, *Verhand. over de werking van den H. G.*, a Soc. Hag. praemio orn., p. 94-107.

hircorum peccatis liberet (X: 4, 11); quocirca, et quia Deus delectari illis minime potuit (X: 5, 6), *μεχρὲν καιροῦ διαρβώσεως* tantum sunt instituta (IX: 10). CHRISTUS vero dicitur expiationem peccatorum fecisse δι' ἑαυτοῦ (I: 3), apparuisse εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, per sacrificium corporis sui (IX: 26), oblatus εἰς τὸ πολλῶν ἀνευγεγεῖν ἁμαρτίας (IX: 28). Ita homines *pro verâ* Deo conciliantur, eorumque peccata auferuntur et remittuntur (II: 17. IX: 12. X: 17, 18). Quam ob rem sanguis CHRISTI dicitur αἷμα ἱκανισμοῦ κρείττονα λαλοῦν παρὰ τὸν Ἄβελ (XII: 24).

*Leviticis* sacrificiis lustrationibusque corpora tantum ab impuritate *Leviticâ* pura reddebantur (IX: 9, 10, 13). CHRISTES vero ita perfecte expiavit (X: 14. XIII: 12), ut, impetratâ per ejus mortem sanguinisque effusionem delictorum veniâ, conscientia non amplius percellatur, pœnaeque divinae haud amplius extimescendae sint (IX: 14). Unde semper cum conscientia purâ et tranquillatâ, summâque cum fiducia ad Deum appropinquare possunt *Christiani* (IV: 16. VII: 19. X: 19, 21, 22). Expiationem eorum efficit, sed novam simul veluti vitam iis affert ejus sacrificium, ita ut Deum viventem colant (IX: 14).

Quid? quod ejusmodi vim huic CHRISTI sacrificio tribuit scriptor, quae valeret etiam εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαβήκῃ παραβάσεων (IX: 15). Peccata igitur antea sub V. F. commissa, quae *Judaica* sacrificia minime tollere poterant, CHRISTI sacrificio, quod *διαρβώσεως* tempore Deo offerretur, fuerunt remissa. Ceteroquin oportuisset illum saepius pati a mundi creatione, nunc autem in consummatione saeculorum, semel in destructionem peccati, per sui ipsius victimam apparuit (IX: 26). Nisi ergo tunc efficax fuisset CHRISTI sacrificium, nemo sub V. F. salutem consecutus esset: nam lex nihil ad τελειῶσιν perducebat (VII: 19). Hic nobis simplicissimus scriptoris argumentationis videtur sensus <sup>1)</sup>.

1) Cf. Calvinus et Bleekius ad h. l.; cl. Vinke, l. l. p. 376 et 395, atque Doodes, l. l. p. 348 sq.

Quae omnia si nobiscum reputemus, luculenter conspiciamus, quanto excellentius CHRISTI sacrificium prae cunctis *Leviticis* illis oblationibus habuerit scriptor.

2. Cum hoc suo sanguine, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, coram Deo apparuit in *praestantius Sanctuarium*, εἰς τὰ ἅγια (IX: 12). Sanguinis enim effusio erat conditio, sine qua ad Deum accedere nefas esset.

a. Summus Sacerdos *Leviticus* introivit in Sanctum sanctorum *templi terrestris*, ab hominibus extracti (VIII: 2. IX: 6, 7). Est ἅγιον κοσμικὸν (IX: 1), et χειροποίητον (IX: 11, 24). CHRISTUS vero euctus fuit in *coeleste Sanctuarium*, οὐ χειροποίητον, non φυσεῖ, sed Deo auctore factum (IX: 11), in σικηνὴν, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος καὶ οὐκ ἄνθρωπος (VIII: 2). Per coeleste hoc Sanctuarium scriptor *totum universum coeleste*, sive *coelum visibile* (coll. IV: 14) intelligere videtur 1);

1) Plures antiquiores per hanc μείζονα καὶ τελειότεραν σικηνὴν, οὐ χειροποίητην, τούτεστιν, οὐ καὶ τῆς τῆς κτίσεως intellexerunt *carnem* Christi, *mortalem ejus naturam*, tum quia X: 20 ejus σὰρξ καταπέτασμα vocatur, tum quia h. l. (IX: 11) dicitur διὰ non εἰς illud tabernaculum introivisse. Sed vidd. argumenta contra hanc sententiam allata a Bl. III. p. 536, et Thol. p. 321, qui laudat Diss. Vriemoetii, de *typo personae Christi in tabernaculo non observando*, in *Miscell. sacr.*, Leov. 1740, atque haec monet: » Wollte man jene Auffassung festhalten, so würde man » sie am besten in folgender Form vertheidigen können: Gleichwie der » Hohepriester im Vorhofe das Opfer schlachtete, und dann durch das Hei- » lige ins Allerheiligste schritt, so hat der Erlöser im Vorhofe der irdi- » achen Welt seinen Leib geopfert und ist dann durch eine verklärte, » nicht aus irdischen Elementen erbaute Hütte ins Allerheiligste einge- » gangen." Alii vero *ecclesiam militantem* indicari putant; sed ét VIII: 2 obstat, ét alia argumenta, quae affert Bährus, l. l. p. 111 sq. Nos cum Lyra, Erasmo, Buccero, Zwinglio, Schlichtingio, Michaëlide, Storrio, Thol. et Bl. de *coelo* accipimus. Cap. X: 20 Christus dicitur morte suâ viam ad Deum inaugurasse, et πρόδρομος evasisse. Simul vero *ipse* via ζωῆς vocari videtur (cf. VII: 16, 25); quae non nisi *καταπέτασμα* carnis, morte suâ, sublato, fieri potuit. Nam quemadmodum Sacerdos *Aaroniticus* per velum intrabat in locum Sanctissimum, ita Christus per carnem suam intravit in coelum, ut per hujusmodi in-



per Sanctum vero sanctorum *supremum coelum*, ubi Deus ipse sedem habet: nam per coelos ascendit, ut appareret τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειότερας σκηνῆς εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἄγια (IX: 11, 24). Ita ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν factus est (VII: 26), διεληλυθὼς τοῦς οὐρανοῦς (IV: 14). In hoc sanctissimo coeli loco ad dextram Dei sedet (1: 3. IV: 14. VIII: 1, 2, 4. IX: 11, 24. X: 12, 13), atque sacerdotali suo munere fungitur (IX: 24). Coelum autem, cujus imago tantum et umbra, ex ipsorum *Judaeorum* sententiâ, templum fuit (VIII: 5. IX: 23, 24), verissime appellari potest Sanctum sanctorum (VIII: 2. IX: 11, 12, 23, 24).

Nonnulli recentiores interpretes, quorum antesignanus rōmus est dicendus, scriptorem superstitionis accusarunt, propterea quod in coelo finxerit templum, ad *Hierosolymitani* Sanctuarii normam exstructum, in quo summo sacerdote proprio sensu fungeretur Sospitator. Ita enim rōmus: „Erat „namque *Judaeorum*, gentis incredibili se suaque omnia super- „perditione amantis, opinio, *Hierosolyma* quaedam, quâ suâ „urbe nihil putarent in rerum universo vel praestantius, „vel divinius, in ipso coelo esse aedificata, nimirum ea pro „sede patriâ olim in aeternum beatorum futura. — Neque „sane non credendum fuerit, nostrum quoque gente *Ju- „daeum* eâdem opinione fuisse quantumcunque praeditum et „imbutum.” — „Nam coelum,” sic alio scribere loco haud eum pudet, „ipsum totum ac naturale interpretari hanc coelestem „σκηνὴν” non licet: immo haec in coelis (cf. IX: 24) adesse „ex auctoris *Judaeorum*que cogitatione, ut Mosaica illa ejus- „que imitatio, quae in utroque templo habebatur, in terris, „ac pro palatio Dei esse, in quo *solum* divinum insit,

gressum viam nobis initiaret, quâ nos eum sequeremur. Jam coeleste Sanctissimum, οἶκος θεοῦ, libera cum Deo communico, cuique patet, qui cum fiduciâ accedat. Cf. Thol. et Bl. ad h. l.

„existimanda est. Quocirca sane egregium laudabileque jure  
 „meritoque judicamus esse figmentum nostri scriptoris, coelesti  
 „templo, a lectoribus dudum, sed ita, ut careret Pontifice  
 „suo, credito, huic nimirum, *JESUM M.*, scitissime attribuen-  
 „tis.” Quid? quod (ad XII: 22) putat, statuisse scriptorem,  
 in coelo non tantum coelestem adesse *Hierosolymam*, sed  
 montem etiam *Sionem*” 1).

Ad quam indignam prorsus nostro scriptore sententiam re-  
 fellendam minime negamus, quam plurimos *Judaeos* ejusmodi  
 terrestrem prorsus de coelis fovisse opinionem 2), neque pro-  
 vocamus ad IX: 11, ubi discrete *ὁ χειροποιήτων* vocatur  
 Sanctuarium coeleste; nam hanc vocem, licet aliquatenus hanc  
 notionem continentem, non absolute per se iis opponi posse,  
 quae e materiâ erant confecta, facile concedimus 3). Sed  
 vel sic tamen hoc *Rationalistarum* commentum absurdum  
 vocare haud dubitamus. Etenim eorum interpretatio, quod  
*primum* observamus, si procedat, ex eâdem regulâ omnes,  
 innumerabiles illae, quae in S. S. occurrunt, imagines proprie  
 explicentur necesse erit: nam *Rabbini* illas proprie interpre-  
 tati sunt, quod quantum a vero aberret, quisque videt. Ex  
 hisce rite animadversis *deinde* sequitur, scriptorem facile ex  
 V. T. et loquendi usu, suo consiliô convenienter imagines a  
 templo et *Hierosolymâ* sumere potuisse. Porro accedit quod  
 multos *Judaeos* cultiores haec omnia symbolice accepisse con-  
 stat 4). Nonne igitur iniqui in hac re dijudicandâ versare-  
 mur, si jam *a priori* nostrum scriptorem cum *Judaeorum*  
 plebe aequipararemus? Quid? quod ipsum coelum, atque

1) Cf. ejus *Comm.* ad VIII: 2, et XI: 10. Ejusdem sententiae patronus  
 dicendus est Rôth, *de Ep. ad Hebr. ad Gentiles datâ.* Francof. 1836. p. 71.

2) Cf. Thol. ad IX: 8, et XII: 22, ubi exempla afferuntur, et Schött-  
 genus, *de Hier. coelesti*, c. II.

3) Cf. Thol. ad h. l.

4) Ita e. c. Auctor *libri Sap. XVIII: 24*, Philo, Josephus, et re-  
 centiores *Rabbini*. Cf. Thol. ad IX: 8, et Bährus, *Symb. d. Mos.*  
 C. I. p. 104 sqq.

intrare in coelum symbola sunt habenda Dei praesentiae, ita ut magis *τροπικῶς*, quam *τοπικῶς* sint explicanda<sup>1)</sup>. Quocirca neque *ipsum coelum* scriptori sufficiebat, qui, ut indicaret Sanctum sanctorum, id est liberum ad Deum accessum, diserte monet, *CHRISTUM* coelo superiorem esse factum, atque supra omnes coelos divino frui honore et felicitate (IV: 14. VII: 26. IX: 11). Denique observandum est, diversissimas imagines de eadem re in hac epistolâ occurrere, unde jure colligimus, scriptorem ea omnia symbola habuisse rerum invisibilium. Imagines enim, unam rei partem duntaxat exprimentes, se invicem excludant necesse est. Dicitur *CHRISTUS* sacrificium simul atque sacrificans; sedere ad Dei dextram et coram Deo suum sanguinem inferre; apud Deum pro suis precari et omnia gubernare<sup>2)</sup>.

Quae cum ita sint, jure statuimus, scriptorem sibi *CHRISTI* introitum in Sanctuarium coeleste *πνευματικῶς* proposuisse<sup>3)</sup>, ita ut ejus introitum in coelestem gloriam atque ad Patris communionem intellexerit; quâ igitur fruens, post factam hac in terrâ expiationem, hominum saluti prospicere pergit<sup>4)</sup> (X: 12-14).

b. Prouti enim Sanctuarium universe apud *Judaeos* Dei regnum sub V. F. repraesentabat, ita coelum communionis cum Deo recte dicitur symbolum<sup>5)</sup>. Hujus vero Sanctuarii

1) Cf. Thol. ad II: 5, et Bl. III. p. 6, 427 et 533.

2) Cf. Hengst. *Pent.* II. p. 452.

3) Vel sic minime negamus, scriptorem sibi coelum aliquatenus *τοπικῶς* proposuisse. Alicubi saltem *Christus* atque ejus socii esse debent, sed ubicumque *Deus* est, coelum vocari potuit, ex ejus mente, in quo *τῆλει* aeternâ laetitiâ et gloriâ fruebantur.

4) Vidd. J. R. Kiesling, *Diss. Phil. de Jesu Sanctorum administro*, Lips. 1740, et F. U. Ries, *de Sacerdotis s. in S. S. cum sanguine expiatorio ingressu, ejusque mysterio*, Marb. 1725, qui tamen typicae explicationi nimis indulgisse censendus est. Cf. Thol., in *introitu* ad *Comm.* 103-107, et in *Comm.* passim; Wettius, *Symb. Typ. I.*

5) Cf. Hengst. *Pent.* II. p. 628 sqq. et Thol. *Comm.* p. 312 sqq.



prior pars, quae *Sanctum* vocabatur, Sacerdotibus duntaxat patebat, populo vero clausa erat; in posteriorem, *sanctissimam* nempe, quae perfectae communionis cum Deo symbolum erat, introire ne Sacerdotibus quidem licebat. Quid? quod summo Pontifici non nisi *semel quotannis* permissum fuit *Sanctum* sanctorum ingredi (IX:7). CHRISTUS vero per coelum ad intimam Dei communionem pervenit, postquam sui ipsius sacrificio peccata, quae aditum claudebant, sustulerat, atque ita viam paravit, quâ in posterum sub Novâ oeconomîâ cuique, fidem ipsi habenti, liceret summâ cum fiduciâ ad Deum accedere, tamquam in ἰδῶ προσφάτω καὶ ζῶσῃ, ἣν ἐνεκαίνισε διὰ τοῦ καταπετάσματος, τουτέστι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ (IV:16. VII:19. X:19-22). *Sanctum* vero, utut V. T. symbolum, in *Christianâ* oeconomîâ non amplius exstat (IX:8); sed *Sanctissimum* tantum, tamquam intimae cum Deo communionis symbolum, ibi invenitur, quod coelis est superius, ita ut CHRISTUS *per coelos* ad illud escenderit (IV:14. VII:26), atque ad Dei dextram se collocaverit <sup>1)</sup>.

Summus *Israëuitarum* Pontifex *quovis anno* iterum iterumque coram Deo in templi *Sanctissimum* comparere debebat (IX:25. X:1, 3); CHRISTUS vero *uno* suo introitu in coelum praestitit, quod saepe repetito in templum terrestre ingressu effici non potuerat (IX:9-15, 25-28).

c. Sanctuarium illud *κοσμιδὸν*, ex hujus mundi materiâ factum, ad tempus duntaxat erat, quippe *χειροποίητον, ταύτης τῆς κτίσεως* (IX:1, 11, 24). *Παραβολῆ* tantum erat εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, adeoque tempore *διορθώσεως* evanescere debebat (IX:9, 10). Sed Sanctuarium, quod

1) Antiquiores plurimi interpretes S. S. typum habebant *ecclesiae triumphantis*, atque eatenus sic dici potest, quatenus in coelo haec ecclesia, vel potius Christus, hujus ecclesiae caput, gloria et honore jam coronatus est. Omnes vero Christiani fide ibi cum Christo jam constituti sunt. Cf. Thol. p. 313 sq.

CHRISTUS ingressus fuit, σκηνη erat ἀληθινῆ, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος (VIII: 2. IX: 24), atque adeo in aeternum manet. Via enim ad coeleste Sanctuarium ducens πρόσφατος καὶ ζῶσα est manetque 1), neque quotannis novo sanguine denuo inauguranda est, cum αἰώνιαν λύτρωσιν attulerit. Nam CHRISTUS in aeternum ibi sedet ad Dei dextram (X: 12-14).

3. *Melioris* denique διαθήκης μεσίτης et ἑγγυος sive sponsor est CHRISTUS (VII: 22. VIII: 6. IX: 15. XII: 24). — Antequam vero summam hujus foederis excellentiam de scriptoris mente exponamus, nonnulla nobis monenda sunt de foederis notione, ut appareat, quatenus noster hacce imagine usus sit in Evangelii praestantiâ describendâ.

Cum jam antiquitus inter gentes *Nomadicas* pangerentur foedera, non est quod miremur, hanc foederis imaginem apud *Israëlitas* usu tritam fuisse. Scilicet necessitudinem, quae Deum inter et populum existeret, sibi tamquam foedus, בְּרִית, proposuerunt, ad quod inaugurandum sacrificia offerebantur. Sacerdotes vero, qui ea sacrificia curarent, *mediatores* foederis habebantur. Quae cum ita sint, facile intelligimus, cur noster, ad *Hebraeos* scribens, easdem imagines ad *Christianam* oeconomiam transtulerit. Itaque illam sapius vocat ἐτ διαθήκην, ἐτ ὁμολογίαν (III: 1), deque sanguine foederis loquitur (IX: 20. XIII: 20). Cum vero vox διαθήκη proprie significet *dispositionem*, eo melius Nova oeconomia, promissionibus tantum constans (VIII: 6), ita designari potuit: certe minus recte συνθήκη vocata fuisset. Sed optime dici potuit *testamentum*, quod διαθήκη item indicat, unde lusus ille verborum (IX: 15 sq.) verosimiliter explicandus est 2).

1) Cf. Bleekius ad h. l.

2) De notione διαθήκης cf. Rosenmulleri *Comm.* inserta *Commentt.* edd. a Velthus., Kuin. et Rup. II. p. 204-232; J. H. Heinrichsius, in *Exc. II* ad *Comm.* p. 230-234; Thol. ad VII: 22; Bleek-

*Christiana* igitur oeconomia recte nuncupatur melior *διαθήκη*, nam est foedus *novum*, *nullo praestantius, generalius et aeternum.*

a. Vocatur *δευτέρη, καινή, νέα διαθήκη*, quoniam prius foedus *Mosaicum* jam antiquatum erat (VII: 12. VIII: 7, 13), utpote imperfectum (VIII: 7. IX: 10). Nam *Leviticum* ejus sacerdotium, quod explendo consilio divino impar erat (VII: 11, 18, 19. IX: 8); sicuti nec sacrificia V. F. purificandis conscientiis sufficiebant, nec valebant ad animos hominum, scelerum conscientia perterritorum, tranquillandos, nec quemquam de numinis favore satis certum reddebant (IX: 9. X: 1), abrogatum est (VII: 11, 12). In ejus adeo locum *nova* jam successit oeconomia (VII: 19, 22). Quae tamen antiquitus a Prophetis jam annunciata est. Saepe enim testati sunt Deo haud placere sacrificia et victimas (X: 5, 6, 8, 9), novaeque *διαθήκης* celebrarunt laudes (VIII: 8-12. X: 15-17)<sup>1)</sup>.

kius, III. p. 388 sqq. Recte Bengelius, ad IX: 18 jam monet: » Ubi » *conventio* sancitur sanguine alieno, animalium, quae *pacisci* non possunt, nedum *testari*, non est proprie *διαθήκη, testamentum*, sed tamen » **ברית** foedus, a testamenti ratione, ob caesas victimas, non longe » remotum: ubi *dispositio* sanguine ipsius disponentis, id est, morte ejus, » sancitur, est proprie *διαθήκη, testamentum*, quod etiam vocabulo hebraico, latiore significato habente, **ברית** dicitur." Rosenm. I. I. voci *διαθήκη* significationem substruit *religionis, constitutionis, legis et formae, vel oeconomiae divinae*. Verba enim **ברית** et *διαθήκη* nunc significant promissiones divinas, nunc praecepta divina. Nova igitur oeconomia eo praestantior est, quia testamenti prae se fert rationem adeoque est aeterna. Recte observat cl. v. Oordt, I. I. in *W. in L.* III. 1846, p. 516, in ann., scriptorem in hac epistola voce *διαθήκη* uti de foedere *Levítico*; nam opponit eam Evangelio (XII: 18 sqq.), Jeremiae verba citat (VIII: 7 sqq.), et legis prae ceteris ritus memorat (IX); imo vero discrete eam cum *lege* commutat (X: 1).

1) Quatenus *Levítica* sacrificia non sufficiebant, in hac quoque epistola de peccatorum remissione, *illis* non necessario intercedentibus, sermo est. Cur autem inde, prouti ex ceteris V. T. locis, a cl. v. Oordt I. I. laudatis, acquatur, *nullo omnino sacrificio, ne Messiano* quidem, opus fore, non per-



b. Deinde *multo praestantius* est hoc foedus (VIII: 6, 10-12. IX: 15), sive *rationem* spectes, quâ inauguratum sit, sive spirituales ipsius *indolem fructusque* saluberrimos.

a. Prisci foederis MOSES fuit mediator, atque *δι' ἀγγελῶν ὁ πρότερος λόγος ἐλαλήθη* (II: 2, 5). Novae vero oeconomiae CHRISTUS unicus est *sponsor* 1), multis nominibus MOSES (III: 3, 5, 6) atque Angelis (I et II) praeferendus, quocirca Pontifice aliisque Sacerdotibus humanis non indigemus. Multo

spicimus, nostrum saltem scriptorem hoc non statuisse patet ex IX: 22. De *Leviticis* quidem sacrificiis loquitur, quae *κατὰ τὸν νόμον* offerri debebant: sed cur Deus, ex ejus mente, haec instituisset, nisi ut suae gubernationis principium, peccata non nisi sacrificio intercedente condonandi, iis exprimeret? Ita omnis sub V. F. peccatorum remissio divinae indulgentiae *praetermissio* est dicenda (IX: 15, coll. Rom. III: 26). Praeter *Leviticis* sacrificia jam antiquata et sacrificium Christi nullum aliud agnoscebat scriptor.

1) Vidd. G. Heringius, *de Christo sponsore*. Vox ἑγγυος, *sponsor*, *expromissor*, ex plurimorum interpretum sententiâ, eadem fere est atque *μεσίτης*, quoniam *spondet*, ab *utrâque* parte servatum iri foedus. Deus enim per Christum nobis *ἐπαγγελίας* impertit, scilicet ἕφεσιν ἁμαρτιῶν, σωτηρίαν, ζωὴν αἰώνιον, sed ab alterâ parte Christus pro nobis obedientiam atque fidem Deo habuit. Quocirca Abr. ad III: 1, p. 156 animadvertit: » Certe, si ad usum hujus vocis (*μεσίτου*) apud auctorem nostrum attendas, et, quod ei plane respondere videatur, ἐγγύου, c. VII: 22. VIII: 6. IX: 15, et XII: 24, reperias, semper referri ad sacerdotium; cujus autem notionem, etiam ratione Christi, concludere oblationem et sacrificium, perspicue docetur VIII: 3." Quae licet per se verissima sint, haud scio, an rectius vocabulum *διαθήκη*, si de Deo occurrit, per *testamentum*, *dispositionem* vertatur, quam per *foedus*; quum ex eo utraque foederis pars procedere sit dicenda. Fundamentum tamen, quo haec *dispositio* nititur, est *expiatio* Christi. Cf. Bl. III, p. 391, qui haec monet: » Das leistete er denn aber sowohl indem er im Namen Gottes als Verkündiger dieses Bundes unter den Menschen auftrat, als auch indem er zur Besiegelung desselben sich den Leiden und dem Tode unterwarf, und indem er durch die Kräfte die er nach seiner Erhöhung in den Gläubigen wirken lässt, deren Zuversicht auf den vollen Genuss der Güter des Bundes weckt und stärket." Porro vidd. Thol. ad h. l.; G. W. Sannes, *Onderzoek, in welken zin Jezus Hebr. VII: 22 de borg des N. V. wordt genoemd*; in diario *W. in L.* 1841. I. p. 48-66, et *Rutg. v. d. L.* 1844. II. p. 308 in ann., qui explicat vocem per: *naderbrenger van of in het beter Verbond.*

sublimiore etiam modo hoc foedus inauguratum fuit, morte scilicet atque sanguine Dei Filii (IX: 15-24. XII: 18-25).

β. Sed et *indolis* ratione habitâ, quam longe novum prisco foederi est praefendum! Sub priscâ oeconomîâ, quod *primum* observamus, hominum conscientia haud tranquillari poterat: ἀδύνατον γὰρ αἶμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἀμαρτίας (IX: 13. X: 4, 11). At novum illud foedus ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις (in priori *mandata* erant) *venomothētizai* (VIII: 6); nam certo certius sperare nos jubet, fore ut Deus peccantibus propitius sit, atque iniquitatum non amplius recordetur (VIII: 12. X: 17), hujusque fiduciae fundamentum praebet firmissimum (IX: 15), θανάτου scilicet γενομένου.

*Praeterea* sub hoc novo foedere amoris principio credentium animi imbuuntur. Deus enim suas leges in eorum mentibus ponit, cordibus eas inscribit, firmissimoque eos sibi conjungit vinculo (VIII: 10. X: 16). Cum quo artissime cohaeret mentis ad cognoscendum Deum illuminatio (s. 11).

*Tandem τὴν ἐπαγγελίαν* exhibet novum hocce foedus τῆς αἰωνίου κληρονομίας (VIII: 6. IX: 15); melioribus igitur promissionibus *Christianos* erigit et praemia proponit aeterna.

c. Sub novâ oeconomîâ *omnes* Deum cognoscent ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν (VIII: 11); in omnes enim ordines effusum iri gratiam, ita ut nullum hominum genus illius expers sit, pollicitus est Deus. Neque Sacerdotibus amplius opus iis est, nam unusquisque Sacerdos erit, libereque ad Deum accedere poterit.

Facile quidem concedimus scriptorem, ad *Hebraeos* dicentem, primo loco de *Judaeis* verba facere (II: 16), cujus rei causae in promptu sunt: attamen hoc foedus ad alias quoque gentes eum retulisse, colligere licet e pluribus locis. *CHRISTUS* enim ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἰτίος σωτηρίας αἰωνίου (V: 9). Deinde quam longe lateque patet *CHRISTI* regnum, simul vigeat salutare hoc foedus necesse est. Deni-

que nullos limites ponit scriptor, sed ubique generatim loquitur. Quid? quod c. II de *homine*, nullâ additâ limitatione, universe sermo est.

d. *Denique* monet scriptor, hoc foedus, omnibus temporibus aptum, *numquam* abrogatum iri.

Prius illud foedus fractum fuerat, quia ipsi *Israëlitae* non perstiterunt in Dei foedere (VIII:9); sed carissus condidit suo sanguine *aeternum* foedus, quod numquam abrogandum erit, quum Deus utramque agat partem, tum condonandis peccatis, tum legibus cordibus inscribendis.

Sed hujus foederis aeternitas in primis patet ex *testamenti* denominatione (IX:15-17), si saltem haec interpretatio satis probata sit: nam *διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία*. Quid? quod *διαθήκη* vocatur *αιώνιος*, atque *βασιλεία ἀσάλευτος*, dum prius foedus mutatum fuerit, *ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα* (XII:27, 28).

#### § 4.

*Praestantior omnibus V. T. Sanctis; ὅ τῆς πίστεως ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς Ἰησοῦς.*

Postquam c. XI quam plurima fidei exempla attulit scriptor, lectores suos XII:1 adhortatur, ut illam piorum hominum, in malis perferendis, fidem imitentur; at prae ceteris *JESU*, summum omnium exemplum imitandum iis proponit. Comparat igitur *Christianorum* vitam cum stadio cursorum; spectatores et testes dicit majores memoratos, qui eos adhortantur, suisque exemplis ad imitationem compellunt. Idcirco, deposito omni onere <sup>1)</sup>, nempe amore vitae praesentis, mundi deliciis, cupiditatibus carnis, curis terrenis, divitiis etiam ac honoribus, praesertim vero peccato, quod undique nos

1) Cff. Calv., et Thol. qui ad h. l. monet: » Alles, was von innen und » aussen den Christen an der Erreichung seines Zieles hindert.«



cingit, ne corpus gravetur, cursusque impediatur, oportebat illos stadium, ipsis propositum, decurrere. Quo magis autem eos ad hunc cursum perficiendum adhortetur, ipsius *JESU* exemplum s. 2 iis imitandum proponit, eumque vocat τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, de quâ denominatione valde dissentiunt interpretes. Etenim multi vertunt ἀρχηγὸν, qui ipse nobis fidem infundit; sed huic interpretationi obstat *primum*, quod ἡμῶν desideratur; *dein* quod diserte vocatur Ἰησοῦς, quod nomen Sospitator gerit, ut humanae naturae socius, quatenus duntaxat hominibus praebere potuit exemplum; *tandem* contextus et consilium scriptoris: nam sine dubio *JESU* exemplum asserre voluit, idque ut multo praestantius, quam cetera c. XI memorata exempla. Quocirca magis nobis placet eorum sententia, qui putent ἀρχηγὸν h. l. vocari *JESUM*, ceu illum, qui prior talem fidem praestitit, ut nobis exemplo sit: fiduciam enim suam in Deo collocarat, constanter calamitates mortemque pertulerat, et ad summam majestatem coelestem evectus erat. Nam ἀρχηγὸς proprie significat *principem*, qui aliis praecurrit, ut idem fere indicet ac πρῶδρομος (VI: 20). Quam explicationem si jure tuemur, τελειωτῆς verosimiliter nuncupatur Dominus, quia fidem Patri ab initio vitae ad exitum usque praestitit, ita ut *consummator* sit fidei. Haec verborum expositio ét contextae orationi optime convenit, ét confirmatur aliis hujus epistolae locis, prouti II: 10, ubi τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν vocatur, qui suos tamquam princeps ad σωτηρίαν ducit, ita ut cum eo fideles jam consecuti sint coelestem σωτηρίαν; similiter additur via, quâ hanc gloriam adeptus erat, scilicet διὰ παθημάτων τελειωθείς. — Nonnulli quidem vertunt per *remuneratorem*, tamquam *brabeutam*, certaminis magistrum; sed haec vocis τελειωτοῦ interpretatio nullis satis firmis nititur fundamentis <sup>1)</sup>. Explicationi vero, qui fidem

1) Teste Bleekio ad h. l.

*in nobis consummat*, quam alii praeferunt, eadem fere ac h. vocis ἀρχηγού versioni argumenta obstare videntur. Recte igitur colligimus, IESUM hac appellatione distingui ab iis omnibus, qui c. XI enumerantur, tamquam ille, qui talem fidem consummavit, quâ major ne cogitari quidem possit.

Quanam autem ratione IESUS nobis exemplum proponitur? Hoc porro indicat scriptor s. 2<sup>b</sup> et 3. Ἰπέμεινε σταυρὸν, αἰσχύνῃς καταφρονήσας, — τοιαύτην ὑπέμεινε ὑπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀντιλογία. Observari meretur, *negativam* q. d. CHRISTI passionem hic in primis spectari, cujus causa latere videtur, *primo* quidem in scriptoris consilio, ut nempe *Christianos* corroboraret in laboribus perferendis; sed *praeterea* in perpeccionibus maxime cernitur CHRISTI fides atque obedientia. Sui abnegatione, suaeque voluntatis Dei voluntati submissione tam praeclarum, omniumque imitatione dignum dederat exemplum. Per totam vitam usque ad mortem, adeoque μέχρις αἵματος, fidem adhibuit. Mortem vero crucis prae ceteris laudat noster, ut totius ejus obedientiae culmen; nam omnium crudelissimum erat teterrimumque supplicium 1), quod apud *Judaeos* devotum habebatur (Deut. XXI: 23. coll. Gal. III: 13). Haec omnia tulit: ubivis obedientiam Patri praestitit, e cujus voluntate cuncta ea perpeccus est.

Pertulit autem ea ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς. Quae verba a nonnullis explicantur: *quum potuisset perfrui semper summâ illâ apud Deum beatitate*; sed haec felicitas minus recte προκειμένη dici potuit: nam indicat rem, quam quis nondum adeptus est, sed adipisci cupit vel sperat. Alii de gaudio, quo *in hac terrâ* frui potuisset, intelligunt. Nobis vero praeferenda videtur explicatio, quâ τὸ ἀντὶ accipitur pro ἔνεκα, h. s. perpeccus est mortem ut ipsi deinceps praemii loco contingeret χαρά. Etenim *primum* ἀντὶ saepissime ita

1) Cf. Cicero, *in Verr.* V. c. 64, et Lipsius, *Opp.* t. III. p. 1153-1216.

occurrit 1). *Dein* προσείσθαι recte dicitur de praemiis, quae in stadio erant proposita (cf. VI:18). Porro optime scriptoris consilio convenit: cohortatur enim *Christianos* ad fidei constantiam, propositâ spe praemii felicitatis summae. Gloriosum mortis finem commemorat, ut sciant fideles, in salutem et gloriam cessura sibi mala omnia, quae sustinerent, modo CHRISTUM sequerentur. *Denique*, JESUM διὰ τῶν παθημάτων ad χαρὰν pervenisse, in totâ hac epistolâ docetur (II:9, 10. V:7, 9. VII:26). Et hoc ipsum eâdem hac sectione indicat scriptor, addendis verbis: ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ ἐκαθίσεν. Sospitator in hac terrâ versans plane se abnegaverat; nunc vero propter suam virtutem, vel potius πίστιν, Deo praestitam, gloriâ et honore est coronatus 2).

Diserte igitur in hac epistolâ docemur, JESUM, verum hominem, ex Patris voluntate, fidem atque obedientiam praestare debuisse, et per totam quidem vitam, in primis vero sub perpressionibus, ultimâ suae vitae parte exautlatis. Quibus obedientiam edoctus, ad summum fidei fastigium escendit, majusque fidei documentum dare non potuit. Hac autem ratione ipse JESUS perfectus fuit redditus, suaeque obedientiae tulit praemium, ita ut ad summam gloriam humana ejus natura sit evecta, quae gloria h. l. χαρὰ vocatur; nam ét hominum σωτηρίαν ét sui ipsius honorem continere videtur. Quae cum ita sint, recte exemplum est dicendum summae fidei et obedientiae, quae omnes V. T. pios, prouti sol cetera lumina, prorsus superavit atque obscuravit. Hoc JESU exemplum *Christiani* intueri, sibi semper ob oculos ponere debebant: quippe quos eâdem prorsus ratione perpressiones etiam ad gloriam ducerent.

1) Vidd. Winerus, *Gramm.* ed. 4<sup>a</sup>, p. 349, et J. G. Schneiderus, in v. Cf. *Godg. Bijdr.* 1842, p. 241 sq.

2) De dogmatico h. l. momento cf. Thol. ad h. l.



## CAPUT II.

## JESU CHRISTI OPUS.

De *personâ* CHRISTI cum Capite I vidimus, additis simul nonnullis de ejus *munere* atque *opere* animadversionibus, nunc de *hoc* accuratius agamus, ut ita ad ipsam rem perveniamus, cujus tantum imagines huc usque collegimus <sup>1)</sup>. Etenim si quae alia, haec sine dubio primaria de redemptione per CHRISTUM doctrina tota imaginibus est involuta. Quâ in re sapientiam Dei et bonitatem cerni negari nequit, quâ curavit ut aliquid saltem de gravissimâ hac re intelligeremus <sup>2)</sup>. Sed idem efficit, ut hîc in primis summâ nobis opus sit prudentiâ, ne ab alterâ parte formam cum re ipsâ misceamus, neque vero ab alterâ omni formâ remotâ ipsam rem perdamus. Quicumque igitur cuncta involucra remove conatur, verendum est, ne is similis sit pueris, qui, insipientes in speculum et quid intro lateat scire cupientes, speculum frangunt, adeoque nihil amplius vident. Natura enim humana ejusmodi involucris indiget, quocirca multi in formâ removendâ nimii fuerunt atque a vero aberrarunt. Laxa praesertim q. d. seculi praecedentis interpretandi ratio huic er-

1) De variis imaginibus, quibus Christi in hominibus servandis merita exprimantur, cf. J. H. Heinrichsius, in *Exo. IV* ad *Comm.* p. 244 sqq.

2) De anthropomorphismis cf. Hengst., *Pent. II.* p. 448: » Die Anthropomorphismen sind nicht blos, aus dem schon angegebenen Grunde, *erlaubt*, » sie sind *unbedingt* nothwendig. Ohne sie kann gar nicht positiv von Gott » geredet werden. Gott selbst hat uns auf sie hingewiesen. Wer sich, wie » die Deisten, ihrer entschlagen will, verliert Gott gänzlich, indem er die » Vorstellung von ihm möglichst zu reinigen und zu sublimiren trachtet, » wird durch die Illusion übergrossen Respectes um allen Respect gebracht. » Seine Stellung zu Gott wird unter allen möglichen die unwahrste und unwürdigste. Er verfällt aus dem Anthropomorphismus in den Nihilismus. » Der Nächste wird ihm der Fernste, das Wesen verwandelt sich ihm in den » Schatten. »

rori ansam dedit. Nostris vero diebus magis magisque ad sanio-rem Hermeneuticam revertunt interpretes, ita ut jam non facile quis neget, *Sacerdotis* notionem nihil amplius continere, nisi merum synonymum notionis universalis Redemptoris 1). Quum autem hujus epistolae notiones, huc spectantes, exponere conaturi simus, hinc in primis lectores rogatos volumus, ut tamquam *specimen* totam hanc disputationem considerent. *Primum* igitur videamus quid *JESUS* in hacce terrâ ad hominum salutem praestiterit; tum vero quâ ratione etiam nunc in coelo suorum causam agat.

## S E C T I O 1.

### *Quid JESUS in hacce terrâ praestitit?*

Pauca tantummodo de *JESU doctrinâ* in hac epistolâ invenimus. Quod tamen non ita accipiendum est, ac si hujus rei nulla injiciatur mentio: nam loci, quibus *CHRISTUS* tamquam doctor proponitur, minime prorsus desiderantur. Primâ jam hujus epistolae sectione Deus dicitur per Filium vel in Filio locutus esse, quapropter hic cum Prophetis comparatur. Praeter ceteris autem hinc in censum venit locus, qui invenitur II:3, ubi monet scriptor a *CHRISTO* esse profectam Evangelii annuntiationem. Nihil aliud enim haec spectare possunt, quam publicam Domini praedicationem, quam audiverant Apostoli. Huc referenda etiam videtur ἀποστόλου denominatio, quae c. III:1 *CHRISTO* tribuitur: nam missus erat a Patre, tamquam Propheta κατ' ἐξουσίαν. Nec non provocamus ad XII:25, ubi admonentur *Christiani*, ne spernerent loquentem, qui divina e coelis promulgabat oracula, licet facile demus, *CHRISTUM*

1) Sacrorum etiam scriptorum doctrinam de *Jesu sacrificio* piaculari, e cultu *Mosaico* depromptam, plus continere, quam moras imagines impropriasque locutiones, recte observat doct. Doedes, l. l. p. 369 sqq.

h. l. magis proponi, tamquam post adeptam gloriam coelestem, per sua fata, spiritum, ministros ad nos loquentem. Nullum idcirco dubium esse potest, quin scriptor summum magistrum, prae mox atque omnibus V. T. Prophetis eminentem, habuerit JESUM, ad cujus opus terrestre Evangelii annuntiatio omnino esset referenda. Ut vero ferebat ejus consilium, verbo tantum JESU doctrina memoratur; cum CHRISTUS agens et patiens in primis lectoribus proponitur, veluti summum sacrificium atque exemplum praestantissimum. Haec igitur sola cum nos quoque spectare cupiamus, *primum* attendamus ad terrestres JESU operis rationem, *deinde* ad hujus operis consilium, *denique* ad saluberrimos, quos tulit, fructus.

§ 1.

*Terrestres JESU CHRISTI operis ratio.*

Ad JESU operis *rationem* denotandam, variis imaginibus utitur scriptor. Sic CHRISTUS dicitur hominem lapsum assumere, ἐπιλαμβάνεσθαι, manu prehendere sursumque tollere, II: 16; hominem peccato pollutum purgare, I: 3. IX: 14. X: 22; captivum liberare, redemptionis pretio soluto (ἀπολύτρωσις), IX: 12, 15; peccati onus ferre, IX: 28. Nulla autem imago frequentior in hac epistolâ invenitur, quam sacrificii piacularis, quo CHRISTI opus tamquam sacrificium pro peccatis oblatum proponitur. Cujus rei causa jam satis nobis patuit e scriptoris consilio. Cum vero de notione, quae sub *Judaeâ* hac imagine lateat, quam maxime diversae extent sententiae, haec prae ceteris erit indaganda. In quâ disquisitione si ipsam imaginem presse sequimur, tutissimi ibimus. Prouti enim antiqua sacrificia piacularia, vel magis per se tamquam vicaria, vel magis ex parte offerentis tamquam symbolica, sui immolationem Deo referentia, spectari possunt; sic etiam JESUS vel magis absolute tamquam sacrificium pro



peccatis, cujus sanguis effunditur Deoque offertur, vel, et praesertim quidem, tamquam semet ipsum Deo intemperatum, ceu hostiam offerens, atque obediens usque ad mortem, in hac epistolâ proponitur. Quocirca utramque rem, licet arcto indivulsoque nexu conjunctam, singulatim considerabimus; ita enim facilius nobis erit scriptoris notiones, quoad ejus fieri possit, ex ipsius mente exponere.

I. Scriptor igitur, quod *primo loco* observamus, Sospitatoris perpassiones atque mortem prae ceteris memorat, et eâ quidem ratione, ut ex Patris voluntate omnia evenisse, praecipuamque terrestriis JESU operis partem iis contineri statuatur.

A. Initium jam ducamus ab observatione, totum CHRISTI opus e scriptoris mente profectum fuisse a Patre: quâ neglectâ verendum est, ne ipsius sententia perverse intelligatur. JESUM enim suas perpassiones mortemque ex Dei voluntate subiisse, diserte docet locus II: 10, ubi legimus: ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ, δι' ἐν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα κ. τ. λ. Πρέπει significat id quod alicui convenit, aliquem decet: quae significatio, contextu duce, vel ad ipsam rem, vel ad ejus attributa, vel ad consilium et finem, vel ad externam speciem est restringenda. De Deo autem cum occurrit, quid aliud significaret, quam hoc redemptionis consilium Deo optime convenire? Non tantum Eo minime indigna erat, ut multi *Judaei* opinabantur, contra vero cum Dei attributis, Ejus sapientia et amore plane congruebat haec agendi ratio. Eodem modo ἡμῖν ἔπρεπε τοιοῦτος κ. τ. λ., VII: 26, talis s. Sacerdos maxime nostris commodis satisfacit<sup>1)</sup>. Porro Deus dicitur, δι' ἐν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, e quo omnia pendent suamque originem ducunt, et in cujus gloriam omnia tendere debent. Sensus igitur hujus loci hic est: Deum, si filios multos ad felicitatem perducere vellet, prouti Ipsius gratiae consilium ferebat, nullam suis virtutibus magis con-

1) Cf. Bleekins ad h. l.

sentaneam viam sequi potuisse, quam salutis eorum auctorem CHRISTUM perpassionibus ad finem perducendo. Participium enim ἀγγέβντα ad Deum subjectum referendum esse, docent ét constructio grammaticalís, ét denominatio υἱοῦ Christianis data, ét ceteroquin frigida tautologia <sup>1)</sup>.

Idem invenimus II: 4, κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν, cum quo loco fortasse conferendus est X: 10, ἐν ᾧ θελήματι: disertè que legimus II: 9, IESU χάρτι θεοῦ mortem gustasse <sup>2)</sup>; et V: 5 eum constitutum esse s. Sacerdotem a Deo (ὁ τὰ πάντα κατασκευάσας θεός, III: 4). Unde patet, hoc minime sibi voluisse scriptorem, summum Numen IESU morte commotum fuisse ad hominum peccata condonanda, cum ipse Deus primarius redemptionis auctor sit habendus <sup>3)</sup>.

B. Inquirentibus porro, quænam præcipua fuerit pars terrestris IESU operis, scriptor respondet, hanc positam esse in sacrificando et sanguine effundendo. Unusquisque enim Pontifex ad offerenda dona et sacrificia constituitur: unde necesse erat, hunc quoque habuisse quod offerret (VIII: 3). Gratiâ Dei pro omnibus mortem gustare debebat (II: 9). Ita sæpe occurrunt ejus perpassiones (II: 10, 18. V: 8), passio mortis (II: 9), mors (II: 9, 14. V: 7. IX: 15), sanguis (IX: 12, 14. X: 19, 29. XII: 24. XIII: 12, 20), sanguinis effusio (IX: 22), preces et supplicationes (V: 7), crux (XII: 2). Hos locos legentes et perpendentes, CHRISTI opus cum sacrificio piaculari conferri, quo hostiæ sanguis effundatur et mors necessario intercedat: negare nos saltem non possumus, perpassionibus mortique Sospitatoris peculiarem vim tribuisse scriptorem, atque in his præcipuum ipsius in hunc mundum adventûs consilium animadvertisse <sup>4)</sup>.

1) Cf. Bleekius ad h. l.

2) Hanc veram esse lectionem, omnes fere hodierni interpretes affirmant.

3) Cf. cl. Vinke, l. l. p. 413 sqq.; F. A. Philippi, *Der thätige Gehorsam Christi*, Berl. 1841, p. 73 sq.; Seiler, l. l.; Doedes, l. l. p. 12, 40 sq., 49.

4) Cf. quæ supra p. 146 scripsimus de significatione vocis ἑπείσταν, II: 10.

Attamen ex hac JESU contemplatione, tamquam sacrificii piacularis, minime sequitur, peculiarem hanc expiatoriam vim *externae* passioni esse adscribendam. Quod si statuere vellemus, comparationem cum sacrificio pro peccatis non satis tueremur. Nullum enim invenimus vestigium, hostiam, expiationi destinatam, antea pati atque excruciiari debuisse, atque scriptor, externis corporis perpassionibus fere omissis<sup>1)</sup>, de perfectâ CHRISTI obedientiâ, quam sub illis perpassionibus manifestavit, in primis loquitur, uti mox copiosius videbimus. Tertium igitur comparationis cum sacrificiis piacularibus tenentibus, minime mirandum nobis erit, tam multa

Consilio Dei, qui multos filios ad *δέξιν* ducere voluit, maxime conveniebat Filium suum tamquam summum ad *σωτηρίαν* ducem perficere. Idcirco assentiri non possumus V. cl. Hofstede de Groot, qui in *Uitlegk. opmerk. over het willen, moeten en betamen omtrent den dood onzes H. in het N. F. voorkomende*, in diario *W. in L.* 1846, II. 257-278, ex hoc aliisque locis efficere conatur, Dei consilium, cum Christum in mundum mitteret, minime cerni in ipsius morte. At vero, nonne ejus mors arctissime juncta erat cum *τελείωσις* per perpassiones, quae tamquam primum h. l. indicatur consilium? Si autem sancto Jesu incumberebat obligatio moralis, quae per *δέξιν*, ut jure dicitur, denotatur, neque aliter effici potuit peccatorum redemptio, nonne inde jam concludere licet, mortem ad divinum consilium re verâ pertinuisse? Quod ipsum laudata Leibnitzii enunciant verba: » Cette nécessité est appelée morale, parceque chez le sage, nécessaire et dû sont des choses équivalentes. » Quomodo porro humanae naturae assumptio et mors a se invicem divelli possunt Hebr. II: 17, ubi vox *ἑφείλει* occurrit? Quid? quod semel cum peccantes redimere constituisset, ad utrumque obligatus censendus fuerit, prout V: 3 Sacerdoti terrestri incumberebat sacrificare. Praeterea, si IX: 16 legimus testatoris mortem *necessario* intercedere debere, ut foedus ratum sit, inde sponte patet, ipsi etiam Jesu, ut N. F. fieret sponsor, mortem subeandam fuisse. Et licet nimis longe procedat Anselmus, ex ipsâ Dei naturâ hujus rei necessitatem probare studens: vel sic tamen necessitas moralis, ut certus scopus attingeretur, in hac epistolâ doceri videtur. Quo quidem minime negatur, totum redemptionis consilium e divino amore, ad nullum beneficium obligato, profectum esse; sed liberrime cum hoc constituisset, mortem Christi etiam voluit Deus, quippe quae ex totâ epistolâ prorsus necessaria proponatur, ut peccata *expiata* tecta esse possent per Christi, tamquam perfecti sacrificii piacularis, sanguinem.

2) Cf. Thol. B. p. 112 sq.



monere scriptorem de ejus *sanguine*. Sanguis enim erat vitae principium: unde prae ceteris memoratur, ratione habitâ sacrificialis *Hebraeorum* instituti, ex quo victimarum sanguine fiebat expiatio, coll. IX: 22. Illa vita in sanguine effundi debebat, ut hujus adspersione in sacrario peccata condonari possent <sup>1)</sup>. Cum vero haec fieri non posset, si mors non antecederet, exinde videmus, quo jure noster, verbis propriis et figuratis inter se permutatis, de JESU morte et sanguine prae ceteris mentionem fecerit, hujusque effusionem primariam ejus operis partem habuerit. Ut enim mortem subire posset, homo fieret necesse erat, II: 9, 14.

II. Sed JESUS non tantum sacrificium erat, V. T. rationis instar, idem ille, qui offertur, ipse offerens exstat Sacerdos, vel potius se ipsum offert; quam offerentis notionem in hac epistolâ praesertim urget scriptor.

Fundamenti instar, ut ipsius mentem eruamus, nobis sit locus, X: 9, 10, ubi *Messias* sic loquens inducitur: Ἰδοὺ ἔκω τοῦ ποιῆσαι, ὃ θεός, τὸ θέλημα σου. Haec, quam christus de se profitetur, obedientia eo cernebatur, quod semet ipsum Deo offerret, διὰ τῆς προσφορᾶς nempe τοῦ σώματος αὐτοῦ. Ut hanc perfectam obedientiam Deo praestaret, in mundum venit; illâ suo sacrificio veram vim et efficacitatem vindicavit, cunctis externis sacrificiis in perpetuum abrogatis. Quâ autem quaeso ratione omnibus numeris absoluta christi obedientia melius denotari potuit, quam adhibitâ imagine sacrificii, quod Deo consecratur ab offerente?

Ad probandum scriptorem in primis magni fecisse obedientiam Domini, secundo loco provocamus ad c. V: 7-9. Hic dicitur obtulisse preces et supplicationes, et quamquam Filius erat, didicisse obedientiam ex iis quae passus est, ita ut

1) Cf. Bähr, l. l. II, et Tischendorf, l. l. p. 18; in primis autem Doedes, l. l. p. 375 sq.

perfectus redditus, causa evaserit aeternae salutis omnibus, qui illi obediunt, sicut ipse obediit 1).

Hanc obedientiam *Patri* praestitit; nam venerat ad implendam Dei voluntatem (X: 7); preces et supplicationes obtulit Ei, qui poterat eum a morte servare (V: 7); se tamquam victimam, labe carentem, Deo obtulit (IX: 14).

*Perfecta* jure dicitur obedientia, quam *CHRISTUS* adhibuit. Per Spiritum aeternum se ipsum obtulit irreprehensibilem (*ἁμαμων*) Deo (IX: 14), quibus verbis clare ostendit scriptor, undenam aestimandum sit *CHRISTI* sacrificium, non ab externo actu scilicet, sed a purissima et perfecta ejus obedientia. Cujus internae integritatis aptissimum symbolum exhibebant V. T. sacrificia; nam victimas mutilas aut vitiosas offerre non licebat. — In omnibus enim aequae ac nos tentatus fuit, sed sine peccato (IV: 15, coll. VII: 26). Obedientiam *didicit*, ad finem usque eam adhibuit (V: 8), ipse ita expertus est, quid obedientia sit, fidemque *perfectit* (XII: 2). Quocirca Deus eo exaltando obedientiam ejus comprobavit perfectumque (*τελειωθεϊς*) Pontificem eum declaravit, ad suam dextram eum collocans.

Quando autem *CHRISTUS* hanc obedientiam et fidem praestitit? Plerumque haec obedientia tantum refertur ad ultimum vitae tempus, quo diras illas perpassiones mortemque pertulit: sin vero hanc epistolam accurate legimus, praedictis opinionibus omissis, inficari non possumus, nullibi hoc discrimen a nostro scriptore observari; neque frustra, ut suam de obedientia *CHRISTI* activam sententiam comprobarent, ad hanc epistolam provocarunt Reformatores. Hunc mundum ingressus jam ab initio inducitur *CHRISTUS*, Dei voluntatem facturus; sermo est de ejus corporis sacrificio (*προσφορὰ τοῦ σώματος*), quod cur tantum ad mortem referendum sit, nos non perspicimus. Ejus *ἀναμαρτησίῃ* perfectaeque sanctitati

1) Cf. T. Krügerus, de supplicationibus Christi pro semet ipso.

peculiaris vis tribuitur. *Τελειωτῆς* vocatur *πίστεως*, atque eatenus prorsus aequiparatur iis, qui sub V. T., in quibuscumque vitae casibus versarentur, Deo fidem praestiterint. Eadem enim ratione in diebus carnis suae preces et supplicationes obtulit.

Vel sic tamen facile concedimus, *Χριστον* hanc obedientiam in perpassionibus in primis exercuisse, e mente scriptoris. Nam diserte dicitur obedientiam didicisse *ὁφ' ὧν ἔπαθε*, ideoque fidei *τελειωτῆς* vocatur, quod crucem pertulit, ignominiam contemta. Iis perpassionibus, eâ crucis morte ad fidei fastigium escendit, atque veluti in obedientiae scholâ summum obedientiae gradum attigit, ita ut major fides ne cogitari quidem possit.

Alia etiam causa, cur prae ceteris de his perpassionibus, ad quas urgendas *Hebraeorum* Christianorum perpassiones ansam dederunt, loquatur scriptor, dari potest. Etenim in iis maxime *Χριστι* virtutem splendentem cernimus, cum majus sit Dei voluntatem patiendi implere, quam agendo. Sic in *Ἰησοῦ* nihil videmus, nisi innocentiam, simplicitatem, obedientiam, Patris voluntati plane submissam. In omnibus et ubique huic Patri confidebat. Atque silens suamque voluntatem abnegans, immaculatum sacrificium erat coram Deo 1). Prouti homo erat

1) Cf. Anonymi epistola, *An diejenigen, welche sich nach beruhigender Einsicht in die Lehre von Versöhnung und Genugthuung sehnen*, in Ewaldi diario, s. jam l., VI, p. 5 sqq., ubi p. 13 inter alia haec occurrit:  
 » Hieraus ergibt sich von selbst, was das versöhnende, genugthuende im  
 » Leben Jesu gewesen. Nämlich Alles, oder vielmehr das tiefste Nichts, in-  
 » dem er Allen Alles ward. Man versteht nichts vom ganzen Leben Jesu,  
 » wenn man dies tiefe Nichts, das Alles für Alle nicht fühlet. Prophet — aber  
 » auch kein Prophet — wie viel gab's grössere Propheten? Lehrer, Wunder-  
 » thäter, Vorgänger, König, Mittheiler — lauter Aeusserungen und Aussen-  
 » werke, dass er Alles für Alle war und seyn konnte. — Mensch für Alle,  
 » Gottmensch, Bruder für alle Brüder, Opfer auch in der kleinsten Hand-  
 » lung, dem kleinsten Sentiment, der vorübergehendsten Empfindung; — das,  
 » dünkt mich, ist das Gottesgepräge auf seinem Leben. Moses, Elias, He-  
 » noch, sind Moses, Elias, Henoch, wie grün, blau, gelb. Jesus war Alles



sanctissimus, sic patiens nihil aliud volebat, nisi Patris exsequi mandata. Atque adeo, tametsi Filius erat, obedientiam didicit ex iis, quae passus est, crucem pertulit ignominiamque contempsit.

Hanc ob causam mirandum non est, nullum verum discrimen, quod schola docet, obtinere in hac epistolâ inter obedientiam CHRISTI activam atque passivam. Etenim ejus vita simul passio erat. Obedientia, quam scriptor celebrat, est semel perfectum sacrificium: unum est, seu potius una perpassio; quocirca eatenus tantum CHRISTUS potest dici obedientiam *activam* praestitisse, quatenus se suâ sponte Patris voluntati tradidit. Haec *ejus* fuit actio, hic vitae *ejus* scopus<sup>1)</sup>. Sed in *negativâ* perpassione clarius ejus obedientia et fides cernuntur, quam in actione *positivâ* q. d. Ἰπέμεινε σταυρὸν, αἰσχύνης καταφρονήσας, venit ad Dei voluntatem ἀμωμῶς perficiendam; perpassiones vero atque mors veluti theatrum, spectaculum erant, in quo suam fidem ad summum usque fastigium escendentem ostendit<sup>2)</sup>. Ut brevi dicamus, ejus sacrificium nihil erat aliud, nisi plena humanae suae voluntatis abnegatio, quam Patri obediens, in dirissimis animi corporisque cruciatibus praestitit.

## § 2.

### JESU operis consilium.

Quodnam primarium JESU hac in terrâ fuerit opus inquisivimus: jam nobis respondendum est ad quaestionem, cur

» für Alle; Licht das alle Farben vereinigt und keine Farbe ist. Nichts, als » Unschuld, Kindeseinfalt, Gehorsam, Unterwürfigkeit unterm Vaters Willen."

1) Cf. ven. R. Engels, *Gelofsroem*, I. p. 38 sq.

2) Pulcherrime loquitur S. Bernhardus: » In vitâ passivam habuit actionem, in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terrae." Vid. Philippi, I. I. p. 28.

Dominus patiēdo et moriēdo obediētiā praestare debuerit? Num sui tantum, an aliorum etiā gratiā? Quod ut indagemus scriptor nos invitāt, de voluntario Jesu opere agens. Etenim haec disquisitio, cum de quovis alio homine absurda esset, quum omnes peccantes perpeccionibus mortique subjecti sint: de Christo rite institui potest, quippe qui ad humanam naturam assumendam seseque humiliandum minime esset obligatus <sup>1)</sup>.

Christo hanc necessitatē non impositam fuisse, diserte satis indicare videtur scriptor, cum X: 9, 10 cum inducit, in mundum venientem ad Dei voluntatem perficiendam; nam voluntati Creatoris obsequi non nostri in mundum adventūs consilium, sed existētiāe q. d. nostrae officium recte dicitur. Ille vero justus atque sanctus (IV: 15. VII: 26) ut pateretur atque moreretur, Filius ille Dei ut tentaretur atque ita patiēdo obediētiā disceret (II: 18. V: 8), nulla aderat necessitas. Hoc vero molestiam creare posse, Dei Filium, Patris gloriāe regniq. participem, perpeccionibus atque morti subjectum, obediētiā discere debuisse, ipse sensit scriptor; propterea dicit: *tumetsi Filius esset, vel sic tamen obediētiā didicit etc.* <sup>2)</sup>. Aliud idque majus habebat consilium, ad quod assequendum ut ita ageret necesse erat. Decebat (ἐπεπευ) Deum; attributis Ejus conveniebat; virtutes Ejus in clariore luce ponebat; ordinem moralem Deus conservabat, Christum ita patiēdo perficiens. Eādē ratione si nostri defectus implerentur, talis Pontifex nobis conveniebat (ἐπεπευ, VII: 26); imo debuit (ὀφειλε, II: 17) in omnibus fratribus suis similis esse. Hanc Jesu ἐνάρρωσιν cum non obligatam, sed voluntariam proponat scriptor (μετέσχε τῶν αὐτῶν II: 14),

1) »Alia nostri ratio,» inquit Calv., »quibus propter peccata imposita est moriēdi necessitas. Natus quidem est et Christus ipse mortalis homo, » sed haec voluntaria submitio fuit, non servitus aliunde injuncta.» Vid. Philippī, l. I. p. 58.

2) Cf. Bleekius ad h. l.

quaestio manet, quâ ratione CHRISTI opus hac in terrâ sit considerandum? quo consilio se ipse morti tradiderit?

*Primo* iterum videbimus de negativâ q. d., *tum* de positivâ CHRISTI sacrificii parte.

I. JESUM non passum mortuumque esse pro suis ipsius peccatis, inde jam patet, quod sanctus et ἀνζυμάρτητος vocatur. Si autem accuratius scriptoris mentem eruimus,

A: *ante omnia* observamus, eum ubique nos ablegare ad antiquum sacrificandi cultum, ut nempe mortem CHRISTI tamquam sacrificium piaculare proponat. Interdum vox *sacrificare* sensu metaphorico occurrit de omni re, quae veluti sacrificium praestatur et suscipitur in honorem Dei, vel ratione habitâ voluntatis divinae (V: 7. XIII: 15). Id tamen nihil pertinet ad locos, rem nostram probantes, de quibus hîc agendum est. Sed innumerabilibus fere locis de sacrificio et quidem pro peccatis, sensu proprio sermo est. Quorum praecipuos verbo recensimus.

C. VII: 27, "Ὁς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ· τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ, ἑαυτὸν ἀνενέγκας. Ex hoc loco videmus, *tum* JESUM non pro suis ipsius peccatis sacrificium offerre debuisse, *tum* sacrificium (θυσίαν), quod ferebat, sacrificium fuisse piaculare, θυσίαν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν, sicuti V: 1 δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν memorat scriptor. Minus certo statui potest, utrum hoc sacrificio tantummodo indicetur magni expiationis diei sacrificium: nam καθ' ἡμέραν huic sententiae repugnare videtur. Quocirca potius h. l. sacrificia quotidiana universe intelligimus, s. Sacerdotis sacrificiis non exclusis, cum hic, quoties id vellet, sacrificandi ministerio posset fungi<sup>1)</sup>. CHRISTUS semet

1) Bleekius ad h. l.: » Immer aber lässt sich an unserer Stelle wohl nicht » verkennen, dass, obwohl der Verfasser bei dem καθ' ἡμέραν nicht an das » Opfer am Versöhnungsfeste allein gedacht haben kann, ihm doch dieses bei



ipsum obtulit pro peccatis populi (τοῦτο). Idem Sacerdos est atque sacrificium, quod pro mundi peccatis offert, suam vitam morti sanguinolentae tradens. Cf. VIII: 3, ubi δῶρά τε καὶ θυσαίαι memorantur.

Cap. IX: 12, Οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰώνιαν λύτρωσιν ἐυράμενος. Hoc loco CHRISTI sanguis discrete opponitur, atque adeo aliquatenus comparatur cum hircorum et vitulorum sanguine. Per illum sanguinem aeternam redemptionem invenit, sibi veluti propriam acquisivit, ad eam impertendam ἁγιαζομένοις. Vox λύτρωσις, quae apud Alexandrinos bis occurrit (cf. Luc. I: 68. II: 38) pro Hebr. פְּדוּת, pulcre denotat liberationem a peccatis, nos veluti carcere includentibus. CHRISTUS igitur dicitur nos peccatis *eximere*, tamquam *carceribus* et *vinculis*. Verum ut illis eriperemur, solvendum erat *liberationis pretium*, λύτρον, unde haec vox, quae hic et s. 15 occurrit. Haec redemptionis notio, licet a notione sacrificii piacularis re verà diversa <sup>1)</sup>, cum illà tamen tam bene convenit, ut utraque commode conjungi queat. Facile enim concedimus, h. l. et alibi notionem τοῦ λύτρον cum morte piaculari artissime esse conjunctam. Nam *primum* τὸ εἶμα vocatur pretium a christo solutum, ac pariter sanguis artissime cum christi morte conjungitur, ubi de eà sermo est, tamquam de sacrificio piaculari. CHRISTUS *porro* tamquam mediator dicitur nos redemisse. *Denique* vocabula λύτρωσις et καθαρισμὸς hoc capite promiscue usurpantur <sup>2)</sup>.

---

» der näheren Bezeichnung der Opfer des Hohenpriesters, als solchen, welche  
 » zuerst für ihre eigenen, dann für des Volkes Sünden dargebracht wurden,  
 » ganz besonders vorgeschwebt hat." — Thol. aliam sequitur explicationem,  
 sed nimis contortam. Cf. Docdes, l. l. p. 346 sq.

1) Quod Thol. ponit.

2) De notione vocis λύτρον cf. praeter ss. antea jam a nobis II., Tisch. p. 31 sq., ubi p. 32 monet: » Imago scilicet in his inest, quod salutaris  
 » Christi mors a Paulo ita proponitur, ut exstiterit redemptio, quod ea

Sermo igitur est de redemptione (λυτρώσει), per CHRISTI sanguinem factâ, quo effuso aditum in coelum aperuit, veluti I: 3 dicitur καθαρισμὸν ἁμαρτιῶν ποιῆσθαι. Quod clarius etiam apparet e s. 14 et 15, ubi CHRISTI morti immediate q. d. adscribuntur venia peccatorum et purgatio a mortuis operibus. Dignum est observatu, scriptorem conjungere sanguinem, vel mortem CHRISTI cum immaculato ejus sacrificio. Deinde ejus mors ad confirmandum necessaria proponitur, veluti testamentum non, nisi testatoris morte insecutâ, firmum est atque stabile.

Huc quoque referendae sunt sectt. 25 et 26, quibus CHRISTI sacrificium de industriâ comparatur cum magno sacrificio, a s. Sacerdote expiationis die oblato. CHRISTUS semel tantum debebat παθεῖν, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ. Simplicissimâ ratione verba διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ cum verbis εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, non vero cum πεφανερωται junguntur, ut sensus sit: apparuit, in terram venit, ut peccata expiaret, per corporis sui sacrificium <sup>1)</sup>. Ἀθέτησις majorem habet tollendi vim, quam ἀπολύτρωσις, s. 15, et ἄφεσις, s. 22, atque convenit cum ἀφαιρεῖν et περιελεῖν ἁμαρτίας (X: 4, 12), quibus CHRISTUS dicitur peccata abstulisse. Vox ἀθέτησις usurpatur de abrogatione legis (VII: 18), atque adeo talem peccatorum abolitionem indicat, quali peccatum non tantum omni suâ vi damnandi privetur, sed etiam omni jure, liberatos in posterum sibi subjiciendi <sup>2)</sup>.

Peccatum *denique* magno oneri confertur, nostris quasi

» Christi actio, quatenus redemptio erat, nec sub sensum cecidit, nec omnino hominum more facta est. Neque vero Paulus recte egisset, nisi sub imagine lateret veritas, quae per illam illustraretur. Et quidem artissima cum eâ imagine rei veritati intercedit cognatio" etc.

1) Cf. Bleek. ad h. l.

2) Cf. Bleek, III. p. 376, 600; et Daedus, l. l. p. 347 sqq., qui in significatione verbi ἀνεσχεῖν ab illo dissentit, portandi notionem ei tribuens.

humeris imposito. CHRISTUS igitur quum IX: 28 proponitur tamquam sacrificatus εἰς τὸ πολλῶν ἀνευγεῖν ἁμαρτίας, dicitur eas subiisse, peccatorumque molem abstulisse, ita ut non amplius adsint <sup>1)</sup>. Nam sine dubio hīc alludit scriptor ad Jes. LIII: 12, αὐτὸς ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκε <sup>2)</sup>. Ut vero aliquis auferat onus, quod nobis subeundum erat, in se suscipiat illud necesse est.

Expositā sententiā de sacrificiis *Mosaïcis* non sufficientibus X: 1-4, hisce opponitur CHRISTI προσφορά, quae re verā effecerat, quam illa sacrificia efficere non potuerant, consecrationem scilicet per oblationem corporis JESU CHRISTI. Haec vero προσφορά τοῦ σώματος mox explicatur, s. 12, per θυσίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, cui s. 14 τελειῶσις credentium tribuitur; ex quā comparatione et oppositione abunde patet, hīc rursus sacrificiī piacularis fieri mentionem.

Quos locos si accurate inspicimus, rīte statuere possumus: *primum*, JESU perpassiones mortemque fere semper cum sacrificio piaculari comparari, et praecipue (sacrificio juvencae rufae (IX: 13), et sacrificio foederis (IX: 16), fortasse etiam sacrificiis quotidianis (VII: 27) exceptis), cum magno diei expiationis holocausto, quod totius populi peccata expiabat, ubi cujusque sacrificiī notio veluti in centro invenitur. Hoc vero sacrificio pro peccatis semel oblato, cetera quaecumque sacrificia piacularia a nostrā parte supervacanea sunt. Nam *secundo* CHRISTUS moriendo sanguineque effundendo effecit, quod sacrificia piacularia efficere non potuerunt. Peccatum

1) Cf. Vinke, l. l. p. 277 sq., et Doedes, l. l. p. 304 et 347.

2) Bl. ad h. l.: » Das Verbum entspricht dort dem Hebräischen נָשַׁךְ, » wie dasselbe ib. v. 11 dem Hebr. כָּבַל. Beim Propheten ist es von einem » stellvertretenden Tragen der Sünden Anderer durch den Knecht Gottes zu » nehmen, eben so wie ib. v. 4 (LXX φέρει).« Minus autem recte ἐπιφέρει esse statuit.



re verà est remissum, ablatum, imo abolitum; unde apparet realem q. d. vim illius oblationi tribui, et aliorum quidem, non vero sua ipsius gratià. Denique CHRISTI mors cum λύτρωσιν confertur (IX: 12), quo aeterna redemptio (λύτρωσις) fiebat.

Quae omnia si reputemus, jure inde efficere nobis videmur, scriptorem CHRISTI mortem sibi proposuisse vicariam pro populi peccatis. Quam sententiam eo facilius amplectimur, quoniam priore nostrae disputationis parte probavimus, sacrificia piacularia apud *Hebraeos* tamquam vicaria considerata fuisse. Num hac imagine usus fuisset scriptor, nisi sub imagine lateret veritas, quae per illam illustraretur? vel plane alium sensum hisce imaginibus tribuisset, quam ejus populares? Tum profecto valde perniciosam atque minime excusandam adhibuisset accommodationem, quam homini, ceteroquin tam sanam mentem sanctamque religionem proderent, minime adscribere audemus. Multo potius statuere volumus, scriptorem, qui CHRISTI mortem cum sacrificio piaculari comparat, atque ita ipsam hujus notionem transfert in illam, non discessisse a ratione, quâ ipsius populares illud sibi informabant, nisi doctrinam suam obscurare maluisset, quam illustrare 1). Nonne praeterea eadem substitutionis notio invenitur in notione λυτρώσεως, prouti supra paucis explicuimus 2)?

B. Prae ceteris vero vicaria illa notio diserte enunciatum IX: 15, ubi CHRISTI mors etiam valuisse dicitur εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων. Ac propterea N. T. mediator est, ut, morte intercedente in remissionem transgressionum, quae sub priore Testamento erant, vocati promissionem accipiant aeternae hereditatis. Prior διαθήκη cum transgressionibus tollere non posset, nova διαθήκη ut erigeretur necesse erat, cujus CHRISTUS esset mediator. Ut vero hoc

1) Cf. Vinke, p. 410 sq., et Muntinghe, *Gesch. d. m.*, X. p. 98 sqq.

2) Cf. Usteri, l. l. p. 110.

foedus firmum staret, atque ejus heredes promissiones re verâ consequerentur, CHRISTO moriendum fuit: nam testamentum non, nisi testatoris morte insecutâ, valet. Tamquam primarium hujus mortis consilium h. l. indicatur ἀπολύτρωσις τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων. Per ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων redemptionem a peccatis, sive peccatorum remissionem significari satis est probabile. Bene jam CHRYSOSTOMUS<sup>1)</sup> eam vim, quae inest in praepositione ἀπὸ ita notavit: τελείως ἐλυτρώσατο, ut ne amplius ad priorem captivitatem revertimur, prouti s. 12 αἰωνία λύτρωσις. Vocatur ἀπολύτρωσις τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παρ., quâ appositione sine dubio eae indicantur transgressiones, quae sub<sup>2)</sup> priori διαθήκῃ, h. e. stante illâ commissae, neque adhuc expiatae essent. Et quomodo peccata sub V. T. commissâ re verâ tolli et aboleri potuissent? *Mosaica* enim sacrificia numquam accedentes perfectos reddere poterant (X: 1); neque fieri poterat, ut taurorum et hircorum sanguis peccata auferret (s. 4). Quod ad conscientiam, purgare non poterant (IX: 9): quocirca manebat ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν (X: 3). Jam vero hisce infirmis sacrificiis mors opponitur CHRISTI, quâ vere expiatae essent et ablatae transgressiones, quae antea sub V. T. commissae erant, quarumque remissio animalium oblationibus symbolice tantum fuerat indicata<sup>3)</sup>. Quemadmodum illo s. Sacerdotis sacrificio peccata per totum annum in *Israële* commissâ symbolice et externâ ratione expiabantur, sic CHRISTI mortem proponit scriptor, tamquam retrorsam vim habentem in cunctis nondum remissis peccatis, adeo ut ejus morte intercedente peccata vere condonata et ablata sint, neque amplius προςφωρὰ περὶ ἁμαρτίας desideretur (X: 18). Prisco foedere *Israëliitarum* peccata duntaxat remissa esse, quatenus CHRISTI morte in posterum remitteren-

1) Vid. *Hom.* 14 in *Ep. ad Rom.*

2) Ἐπὶ est praepos. temporis. V. *Win. Gramm.* § 52. 4. S. 373 (cf. s. 26).

3) Cf. *Doedes*, l. I. p. 349 sq.

tur, hic locus diserte docet <sup>1)</sup>. Licet igitur scriptor statuatur, sub V. T. credentes peccatorum remissionem consecutos esse, hanc tamen remissionem efficaci CHRISTI morti adscribit, qui semel in consummatione seculorum manifestaretur ad peccatum abolendum (IX: 26). Sine nobis minime perfecti sunt redditi, monet XI: 40; *objectivam* q. d. peccatorum expiationem realiter assecuti non sunt, quamquam promissionem acceperant, cui fidem habentes jam hac fide gaudebant <sup>2)</sup>.

Quae cum ita sint, non facile disertius indicare potuisset scriptor, se mortem CHRISTI, ut vicariam, sibi informasse. Sine sanguinis effusione remissionem non fieri (IX: 22), enunciat; sed simul ostendit, eam, quae sub V. T. obtinebat, effusionem, externam duuntaxat atque symbolicam remissionem attulisse. Ut vero peccata vere expiarentur atque abolerentur, CHRISTUS moreretur sanguinemque effunderet necesse fuit. Hanc autem mortem non nisi *subjectivam* Dei gratiae affirmationem attulisse si statuimus, quâ tandem ratione illud CHRISTI sacrificium ad priores etiam *Israëlitarum* transgressiones referri posset, ipsique retrorsa vis tribui? Necessariam fuisse CHRISTI mortem tamquam peccati λύτρον, disertius indicari non facile potuisset <sup>3)</sup>.

C. Vicariam CHRISTI mortis rationem postquam ex toto huius epistolae argumento effecimus, duo etiam alii loci ad hanc sententiam confirmandam afferri possunt, licet facile demus iis, in se spectatis, non absolutam q. d. probandi vim inesse.

Prior invenitur II: 9, ubi CHRISTUS dicitur Dei gratiâ pro omnibus mortem gustasse. Verbis *mortem gustare* idem significatur atque re verâ mortem subire, fortasse simul spectatâ ejus acerbitate <sup>4)</sup>. Mortuus adeo est ὑπὲρ πάντων, i. e. *pro πάντων*, licet singularis numerus definitus etiam indicare videatur, huius mortis fructus non tantum universam

1) Cf. Seiler, Ust., Theol. et Bleekius. 2) De hoc loco cf. supra p. 72 sq. 3) Cf. cl. Vinko l. l. p. 406-426. 4) Cf. Bleek., II. p. 270.



CHRISTI ecclesiam, sed singulos etiam credentes spectare <sup>1)</sup>. Quod ad praep. ὑπὲρ attinet, plane WINERO assentimur, contententi, non licere nobis in gravibus locis, ubi de morte CHRISTI agitur, illam praepositionem simpliciter = ἕνεκεν sumere <sup>2)</sup>. Semper continet notionem commodi; nam convenit plane Latinorum *pro*: at vel sic tamen significatio vicaria minime est excludenda. Saepissime enim in alicujus bonum quid agitur, quod ejus loco fit. Quod monentes, non praepositionem, quâ talem, premere volumus; sed ex orationis contextu nobis quidem patere videtur, scriptorem morti CHRISTI substitutionis notionem tribuisse. Namque in hac ipsâ s. 9, ut humanum genus, fide ipsi conjunctum, repraesentans, ille proponitur, in quo honore et gloriâ illud coronatum intuemur. Quam arctissime cum fratribus suis est conjunctus (s. 11), imo carnis sanguinisque particeps redditus (s. 14). Nonne haec omnia ad JESUM nos respicere jubent, hominem illum sanctissimum, qui non suâ ipsius gratiâ, sed fratrum suorum loco mortem subierit? In primis si reputamus, quam familiaris haec sententia scriptori fuerit, eandem h. l. obtinere equidem negare non ausim.

Tandem huc referendus est X: 26, ἐκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν —, οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται τυτία. Cujus loci sensus huc redit: nullum sacrificium in posterum exspectandum est, quo peccata expiari possint; nam CHRISTUS non bis se offert. *Leviticis* sacrificiis, quae numquam peccata tollere poterant, abrogatis, CHRISTI mors peccata expiavit <sup>3)</sup>. Unde sequitur, eum, qui hoc sacrificium spreverit, suarum transgressionum poenas subire debere: nam, neglectâ viâ, quâ solâ vere auferri possunt, non remissae manent <sup>4)</sup>.

1) Sic Seb. Schmidt; cf. Bleekius. De lectione *χαρὶς* vidd. interpretes ad h. l. 2) Cf. *Gramm.* § 51. 1. p. 366. 3) Cf. Bleek. ad h. l.

4) Cf. Seiler, l. l. p. 122.

Sed haec sufficiant ad probandum, JESU mortem in hac epistolâ proponi vicariam. Jam porro videamus, quatenus idem hoc consilium in totâ ipsius vitâ et obedientiâ cernatur.

II. Scriptorem *obedientiam* etiam CHRISTI habuisse vicariam, jam suspicari nobis licet attendentibus

A. ad arctissimum, qui huic obedientiae cum ejus perpeccionibus et morte intercedit, nexum <sup>1)</sup>).

Identidem enim ejus obedientiam, in hisce perpeccionibus et morte conspicuam, prae ceteris urget, dicitque, CHRISTUM se ipsum obtulisse Deo irreprehensibiliter (IX: 14). Jam quomodo fieri posset, ut altera vitae pars sic spectaretur, altera vero negligeretur? An non ita rem proponit scriptor, ac si in hac ipsâ obedientiâ CHRISTI mortis vis cernatur, cum se ipsum suâ sponte, idque sanctissime, sacrificaverit, quo nomine ejus sacrificium prorsus diversum erat ab animalium V. T. externis tantummodo sacrificiis? Quid? quod maxime universa sacrificii notio erat, Deo facta oblatio cujusdam rei extra nos, quâ interna animi consecratio impleteretur <sup>2)</sup>. Si igitur scriptor statuit, CHRISTUM hominum loco fuisse mortuum, eâdem ratione sumat necesse est, CHRISTUM eorum loco obedienter atque immaculate mortuum fuisse, imo vero nostro loco obedientiam et fidem perfecisse.

At putet forte quis, sanctitatem perfectamque CHRISTI obedientiam a scriptore solum considerari, tamquam necessarium vicariae ipsius mortis antecedens. Pro omnibus si mortem subire vellet, vita omnibus numeris absoluta anteiret necesse erat, cum ceteroquin pro suis ipsius peccatis mori debuisset. Sed licet non negemus hoc etiam fuisse obedientiae JESU

1) Totius Jesu personae apparitionem conjungendam esse, recte observat Rutg. v. d. Loeff, l. l. 1844, II. p. 348 sq.; licet, discernens inter *plaatsbekleedend* et *plaatsvervangend*, notionem, proprie dictam *vicariam* neget. Nos potius utramque arctissime conjunctam, unâ *repraesentationis* notione, nobis informamus. Cf. doct. J. J. Doedes, l. l. p. 293 sqq.

2) Cf. Thol., *Beil.* p. 108, et de Geer, l. l.

consilium: idem tamen statuimus, aliâ etiam ratione hanc ὑπακοήν sibi informasse scriptorem<sup>1)</sup>.

B. Ad quam sententiam probandam, ad plures locos provocamus, et primum quidem ad locum jam supra memoratum V:7-9, ubi se ipsum abnegans annisti obedientia discrete exhibetur. Ἐμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν. Hanc suâ ipsius gratiâ præstare minime opus habebat, cum υἱὸς esset θεοῦ, alios ideo spectabat. Καὶ τελειωθείς ἐγένετο ἄλιος σωτηρίας αἰωνίου. Salutare ejus mortis effectus in hominum commodum redundabant: quocirca suâ sponte obedientiam exercuit.

Hic in primis est sensus loci X:9, 10; ubi CHRISTUS discrete dicitur venisse, ut Patris voluntatem perliceret. Mors igitur CHRISTI expiatoria erat προσφορὰ τοῦ σώματος, atque τὸ ποιῆν τὸ θέλημα θεοῦ. Quae voluntas cum antiquis Mosâicis sacrificiis non esset peracta, ideo ad eam perficiendam venit CHRISTUS. Duplex adeo cernitur adventus ejus consilium, alterum ut sanguinem effunderet, alterum ut obedientiam, antea non ita præstitam, exerceret. Quibus animadversis, scriptor pergit: ἐν ᾧ θελήματι, τοῦ θεοῦ scilicet: de hujus

1) Theol. I. I. p. 102: »Jenes Leiden,“ inquit, »wie dieses Leben ist stellvertretend. Die stellvertretende Kraft dieses Lebens ist unsere Erlösung, die jenes Leidens ist unsere Versöhnung, durch die letztere wird negativ unsere Schuld hinweggenommen, durch die erstere wird die Gerechtigkeit an die Stelle gesetzt. Das Leben ist stellvertretend, denn indem die kranken Glieder daran Antheil nehmen und durch dasselbe sich restauriren, so ist es des Erlösers Leben, was an die Stelle ihres eigenen tritt, wodurch sie dem Gesetze genügen können, was sie vor demselben rechtfertigt.“ Off. p. 109, et Schleiermachers verba, supra p. 121 jam laudata. Idem fere indicat Neander, *Das Leben Jesu*, ed. 4a, p. 754: »Wenn der beginnende Todeskampf in dem Menschen das Gefühl der eigenen Sünde hervorruft, so könnte dies bei dem vollkommen Heiligen nicht stattfinden; nur des Zusammenhanges seiner Leiden mit den Sünden der Menschheit überhaupt konnte er sich bewusst werden, das Elend der um der Sünde willen leidenden Menschheit theilen durch das Mitgefühl“ etc.; ejus sententiam probatam video a doct. G. J. Vinke, in *Diss. de Christi, e cruce pendente, vocibus*, p. 27 sq.



enim, non de CHRISTI voluntate sermo fuit: ἁγιασμένοι ἔσμεν, segregati, Deo consecrati sumus. Cujus sensus erit: segregati sumus in Dei voluntate, vel potius nostra segregatio illā Dei voluntate continetur. Atque medium q. d., quo consecrati sumus, est προσφορά τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quae si animadvertimus, verba θέλημα τοῦ θεοῦ eodem, quo sect. praeced., accipienda erunt sensu, Deique adeo voluntatem significant, quam CHRISTUS perfecit. Cujus voluntatis, quam CHRISTUS sacrificio suo perfecte exsecutus est, vi sancti reddimur: quod quid aliud significare potest, quam sancti facti sumus, quia Dei voluntatem pro nobis perfecit CHRISTUS 1)? Jure igitur porro affirmare potest scriptor, JESUM CHRISTUM uno suo sacrificio ea omnia effecisse, quae ad homines sanctos reddendos requirentur. Nam s. 14 idem clarius etiam enunciat: μὴ γὰρ προσφέρει τέλειωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους 2). Dicit: τέλειωκεν, jam perfecit; sunt jam τέλειοι in christo fideles 3): quo quid significat, nisi omnes qui sanctificarentur (οἱ ἁγιαζόμενοι) in eo jam coelesti gloriā esse coronatos et honore: etenim qui illud fieri possit sine τελείωσει vicariā non perspicimus. Haec vero deinceps clariora nobis fient, cum τελειώσεως notionem accuratius exposuerimus.

Sacerdotis notionem, quae christo tribuitur, hic praetermittere minime licet: nam quamquam, secundum nostram epistolam, nobis conveniens Pontifex proprie factus est, cujus munere pro nobis in coelo fungitur; vel sic tamen hujus dignitatis fundamentum jam in suā ipsius oblatione positum erat; unde negare non possumus, cum et ut s. Sacerdotem

1) Cf. Bonnetus, VII. p. 57, et Gerl. ad h. l.

2) Cf. de h. l. J. U. Fromman, de una oblatione in aeternum consummante.

3) Thol. ad h. l.: »Nachmalige Versicherung, dass κατὰ δόξαν die ἁγιαζόμενοι ein für allemal τέλειοι sind, wenn gleich diese δόξα noch »nicht überall zur Erscheinung gekommen ist.«

ét ut sacrificium proponi <sup>1)</sup>). Cum vero, ut supra jam vidimus, notio substitutionis in Sacerdotis notione jam contineatur, inde sequitur, *CHRISTUM*, quae fecerit, haec tamquam ipsi obedientis humani generis loco fecisse, atque adeo totam ejus vitam mortemque ita spectandam esse. Quare et *JESU*, ut idealis, gloria simul continet hominum ipsi devinctorum honorem (II: 9).

C. Quae si rite tenemus, scriptoris sententia minime premitur difficultate, quae veluti primaria contra substitutionis doctrinam vulgo movetur. Illâ enim unione morali sive mysticâ (sit venia verbo) cum scriptore assumptâ, imputatio arbitraria dici nequit. Nam *CHRISTUS* non amplius est persona per se existens, neque ab humano genere alienus, qui communi duntaxat vinculo, ut nostrae naturae socius nosterque frater, nobiscum est junctus, prouti nos omnes invicem sumus conjuncti: sed *CHRISTUS* ipsum est genus humanum, quod repraesentat. Non est *unus* ex hominibus, sed homo <sup>2)</sup>,

1) Legi merentur quae hac de re habet Usteri, l. l. p. 150: » Wenn wir » die Vorstellung von Christus als Hohenpriester ihrer jüdischen Form ent- » kleiden, so liegt darin die erhabene Idee, dass er der Repräsentant der » Menschheit ist, in welchem Gott Alle, die sich mit ihm verbinden, als ge- » recht ansieht. Betrachtet man nämlich Christum als ἀρχιερεύς, so erscheint » er mehr als idealer Menschensohn, in urbildlich menschlicher Thätigkeit; » betrachtet man ihn als σὺνθερ, so erscheint er mehr als Gottes Sohn und » Gesandter, in Gottes Auftrag handelnd und die Menschen mit ihm ver- » söhnend.« — Cf. Thol. in *Comm.* p. 237, et Doedes, l. l. p. 346 sq.

2) Recte Philippi, l. l. p. 77: » Er ist der Mensch κατ' ἐξοχήν, der Ge- » sammtmensch, der zweite Adam;« et Thol. in *Comm.* ad Rom. III: 25, ed. 1842, p. 184: » Die Rechtfertigung der Idee eines solchen stellvertretenden » des Leidens hat davon auszugehen, dass Christus nicht bloss der einzelne » Mensch, sondern derjenige Einzelne ist, durch welchen erst der Geschlechts- » begriff der Menschheit eine Totalität wird, in welchem die erlösete Mensch- » heit ebenso in einer geistigen Einheit befasst ist, wie die sündige in Adam » in einer leiblichen Einheit.« — Cf. Olsh. ad Rom. V: 15; Dorner, *Entwicklungsgesch. d. Lehre v. d. Person Christi*, 1839, S. 527 sq.; G. Funke, l. l., in *Stud. u. Kr.* II, 1842, p. 317 sqq., 321 sq.; et K. F. Göschel, *Beiträge zur specul. Phil. von Gott und dem Menschen und von dem Gottmensch*, p. 63 sq.

ita ut CHRISTUS *objectivo* sensu rite dicendus sit homines repraesentare, quatenus genus humanum in illo apparuit ad summum fastigium adscensum; licet singuli homines *sensu subjectivo* duntaxat per fidem illius participes fiant <sup>1)</sup>. Ita ejus justitia fit nostra justitia, ejus mors nostra mors, ejus resurrectio nostra, ejus gloria pignus futurae nostrae gloriae. Haec si ita sint ex mente scriptoris, clarum nobis fit, quomodo homo, fide cum CHRISTO junctus, ejus obedientiae perpersionumque gratiâ justificari possit coram Deo, qui ex vero judicat. Atque ita re verâ statuisset scriptorem nos docet cap. II, nam, postquam s. 10 hanc salutis viam Deum decuisse dixerat, non solum hujus rei causam indicat, sed etiam de necessitudine, quae JESU nobiscum intercedit, exponit, quo magis reddatur ratio, cur illud Dei naturae conveniret <sup>2)</sup>. "Ο, τε γάρ, inquit s. 11, ἀγιάζων καὶ οἱ ἀγιαζόμενοι ἐξ ἐνὸς πάντες. Δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοῦ καλεῖν. Quibus verbis ἐξ ἐνὸς, si vel cum nonnullis subaudiatur vox θεοῦ, discrete tamen indicatur, communem originem redemptionis per substitutionem factae esse fundamentum. Vero similior autem nobis videtur altera explicatio, quae ἐξ ἐνὸς interpretatur de verâ humanâ origine <sup>3)</sup>. Hac assumptâ scriptoris sententiâ, ex quâ CHRISTUS (ὁ ἀγιάζων) ejusdem sit naturae atque οἱ ἀγιαζόμενοι, substitutionis notionem omni carere arbitrariâ specie nobis saltem constat <sup>4)</sup>. Hoc idem mutatis verbis s. 14

1) Philippi, I. I. p. 78: »So ist Christus die Totalität der geheiligten Menschheit und jedes einzelne Glied seiner Gemeinde nimmt durch den Glauben gleichsam ihre geheiligte Individualität aus dieser Totalität zurück.« Cf. ejus censor in *Theol. Litt. Anz.* N. 61. S. 484. 1841.

2) Cf. Engels, *Waarh. en geloof*, p. 8 sqq.; *Geloofsroom*, I. p. 42 sqq.

3) Sic Calvinus, qui monet: »Communiter intelligunt ex uno Adam; nonnulli ad Deum referunt, neque absurde. Sed ego potius eandem naturam designari existimo, et unum intelligo in neutro genere: ac si diceret, »ex unâ massa nos esse compositos.« Vidd. et Owen, Abresch, ad h. l., et Bonnet, II. p. 238. Cf. quae supra scripsimus p. 114. Contra de Deo interpretantur Theol. et Bleekius.

4) Cf. Calv. *Instit.* III. l. 1. § 1, et § 10; Engels, I. l. I. p. 86; et Anonymi epistola, I. l. passim.



indicat, ut eo, quod re verâ humanam naturam assumerit CHRISTUS, fieri potuisse redemptionem significet: nam profecto non angelorum miseretur, sed hominum, quibus prorsus similis est redditus, uno peccato excepto. Atque ita etiam in coelis (s. 17), homines qui repraesentaret, Pontifex apud Deum esse potuit <sup>1)</sup>.

§ 3.

Jesu vitæ mortisque fructus sive effectus.

Expositis terrestris Jesu operis *ratione* et *consilio*, jam superest ejus *fructus* sive *effectus* considerare. Quintuplici ratione in hac epistolâ de iis agitur. Ac *primum* quidem noster contendit, CHRISTUM *τέλειον* esse factum coque consecutum esse summum, quo Deus eum ornavit, honorem; *secundo*, ipsi obedientes *objectivo* sensu perfectos esse, ita ut eorum peccata expiata sint, ipsique a metu mortis liberati; *tertio*, CHRISTUM idoneum esse factum, ut hominum debiliû atque peccantium misereri possit; *quarto*, hac ratione eum præbuisse perfectissimum fidei et obedientiæ exemplum, atque ita suos ducere posse *subjectivo* sensu ad *ἀγιασμόν*, *τελειώσιν* et *δόξαν*, uti summum ad salutem ducem; *denique*, sic finem eum imposuisse

1) Thol., Beil. p. 106: »Müsste der, welcher es sich zurechnet, sich ab-  
»solut als einen Anderen betrachten, denn der, welcher gelitten hat, und  
»bliebe das Leiden desselben ihm ein rein äusserliches, so dürfte wohl auch  
»von einer solchen Zurechnung die Rede nicht seyn; doch so verhält es sich  
»nicht. Es ist hier zurückzugehen auf jene mystische Einheit des Erlösers  
»mit den Erlösten, von welcher die Schrift redet. Vermöge derselben bildet  
»das Haupt mit seinen Gliedern Einen Leib. In dieser gliedlichen Gemein-  
»schaft wird der Glieder Eigenthum, was das Eigenthum des Hauptes ist,  
»und so wie die Glieder das von ihm ausgegangene Leben als ihr eigenes  
»betrachten, so auch das von ihm um ihretwillen erduldet Leiden. Das  
»ist die stellvertretende Kraft seines Leidens." Cf. H. Munt., l. l. X.  
p. 94 sq.

cultui *Levitico*. Quintuplicem hanc rationem in expositione nostrâ sequemur.

I. JESU perpassiones mortemque, vel potius obedientiam, per totam vitam praestitam, ipsi etiam profuisse sine dubio haec epistolâ docet. Per eas enim *τέλειος* est factus, II: 10. V: 7-9. VII: 28. XII: 2. Fundamenti loco ponimus V: 7-9, ubi copiosissime suam mentem explicat scriptor, licet jam nonnulla, quae lucem afferre possint, supra observaverimus.

Quod attinet ad contextum, indicare in his sectionibus videtur scriptor, JESUM s. Sacerdotalis muneris honorem minime sibi arrogasse, sed Sacerdotem a Deo esse creatum et constitutum <sup>1)</sup>. Hoc enim satis superque patebat ex ipsius, quam Patri praestitit, obedientiâ. S. 7 spectari videntur ea, quae perpassus est Sospitator in villâ *Gethsemaniticâ*; quamquam, cum universe legitur: *in carnis suae diebus*, alia ipsius vitae fata minime excluduntur <sup>2)</sup>. At prae ceteris s. 8 digna est, quae accuratius legatur. Orationis contextum consulentes, videmus CHRISTUM obedientiam didicisse ex iis, quae passus est, tametsi Filius erat, cui summae personae dignitati quodcumque obedientiae exercitium minime congruere videbatur. Atque ita explicata haec sectio item spectat sequens: *τελειώθεις*, quo perspicua nobis fit cohaerentia, quae JESU obedientiae cum ipsius *τελειώσει* intercedit. *Μαθητεύειν* dicitur de iis, quae usu et experienciâ discuntur, quod patet e locis Phil. IV: 11 et Tit. III: 14, coll. Jer. XIII: 23, apud Sept.; quibus locis nihil aliud potest significari, nisi consuetudine et exercitio aliquid discere, assueferi ad aliquid praestandum <sup>3)</sup>. Alii quidem vertunt: obedientem se gessit; alii rursus: expertus didicit, quam difficile ac molestum sit Deo

1) Cf. omnino Bleekius ad h. l. De toto loco cf. Comm. anonymi, *In wele verband etc.* Dordr. 1815.

2) Conferri possunt loci paralleli Mt. XXVII: 46. Joh. XII: 27, 28. Joh. XIII: 21.

3) Recte Thol. ad h. l.: „Wer denkt lernt denken.“

parere 1). „Quod si vero scriptor significare voluisset, CHRISTUM patiendo usu expertum fuisse, quid sit Deo obedire, haud scripsisset *ἔμαθεν τὴν ὑπακοήν*, sed potius, coll. Matth. IX:13, *ἔμαθεν τί ἐστὶν ἡ ὑπακοή. Μανθάνειν τι* ubi simpliciter occurrat, significat vel rei, quam quis ante nesciverit, peritiam accipere, quo sensu de JESU omnino usurpari nequit: vel in aliquâ re *exerceri* 2).” Satis diserte ergo docetur, JESUM se in obedientiâ exercuisse, eique perpeccionibus, quas expertus est, assuefactum fuisse. Definitum sane erat, quod a Patre acceperat, praeceptum ut vitam deponeret; sed cum hujus praecepti obsequio arctissime omnis ab eo exercenda virtus juncta erat, quocirca per obedientiam universam ejus agendi rationem, quâ sanctissimum nobis reliquit exemplum, intelligamus necesse est.

Hac ratione *τέλειος* factus est: de cujus vocis variis significationibus jam supra monuimus. Commode initium capimus ab universâ vocis *τέλειος* notione, quae derivatur a subst. *τέλος*, ita ut verbum *τελειόειν* significet: *perficere, ad exitum, ad perfectionem, ad finem definitum perducere*. Hic enim finis CHRISTO, tamquam vero homini, propositus, illa erat perfectio, quâ ad summum beatitudinis fastigium duceretur, perfectio igitur interna et externa: quae interpretatio optime convenit *tum* orationis contextui, *tum* usui loquendi 3). Docet igitur scriptor perpeccionum viam primo loco fuisse necessariam, ut humana JESU natura ad summam perfectionem perveniret. Omnia quae fecit et passus est, ad suam perfectionem expertus

1) Sic Abr., et jam Calv., qui tamen ipse addit: » Quamquam hoc vero » dici possit: Christum morte suâ ad plenum didicisse quid sit obedire Deo. » Sensus ergo est: passionum experientiâ Christum fuisse edoctum, quous- » que Deo nos subjici ac parere oporteat.»

2) Sunt fere verba cl. Scholten, in *Or. I.*, cujus ann. 42<sup>a</sup>, p. 70 sq. praeter ceteris hic conferri meretur. Cf. Böhmius ad h. l. et scriptores a V. cl. laudati; in primis etiam Rutg. v. d. Loeff, in diario *W. in L.* 1844, II. p. 312.

3) Cf. Bleek., II. p. 298 sqq., et Thol., *Beil.*, p. 113 sqq.



est, ut adeo ratio, quam Deus secutus sit, eum duceret ad exercitationem et perfectionem. Nam licet ab unâ parte fratribus in omnibus similis fuerit, sine peccato: vel sic tamen ab alterâ patiendò perfectus est redditus<sup>1)</sup>.

His rite observatis, facile etiam capimus scriptoris mentem, ubi dicit Deum τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων sanctificasse, τελειῶσαι, ad perfectionem duxisse (II:10). Eodem sensu dicitur: ὁ λόγος τῆς ὀκτωμοσίας (κατίσθησιν ἀρχιερέα) ὕδιν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον (VII:28). Perfectâ suae voluntatis abnegatione (quae XII:2 fidei perfectio vocatur) aeternus s. Sacerdos est redditus, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccantibus (VII:26).

Hac praeterea viâ ad illam gloriam, quam nunc possidet, pervenit; quippe quam mercedis loco a Patre acceperit ob perfectam obedientiam. Postquam unum sacrificium pro peccatis obtulit, peccatorumque nostrorum purgationem per se ipsum effecit, consedit ad dextram magnificentiae in excelsis (I:3<sup>b</sup>, 13. VIII:1. X:12). Jesum jam intuemur gloriâ et honore coronatum (II:9<sup>a</sup>). Pro gaudio sibi proposito pertulit crucem, ignominiam contentam, et ad dextram Dei collocatus est (XII:2). Ex his omnibus locis satis superque apparet, quomodo hoc quoque nomine ipsius perpassiones et mortem ei paraverint ad τελείωσιν sive δόξαν, quâ postremâ voce altera haec ipsius perfectionis pars indicatur (II:10). Haec autem gloria, quae plerumque sub imagine sessionis ad dextram proponitur, veluti praemium occurrit, quod ei contigit propter obedientiam, in carnis diebus praestitam, eâque reportatam victoriam.

II. Sed non solum *Ipsè* perpassionibus atque obedientiam τέλειος est redditus, suos etiam ad τελείωσιν ducit, vel potius τετελειώκεν εἰς τὸ διηγεκῆς τοῦς ἁγιαζομένους (X:14);

1) Egregie hoc exprimit *Cant. Evang.* 47, 2: » Gij grootst, daar Gij U » diepst verzaakt, Hebt hier door lijden U volmaakt.»

imo primarius ejus operis erat finis, qui in hac epistolâ exponitur, ut suos perfectos redderet atque beatos.

A. Ante omnia inquirendum nobis est, quid, *Christianorum τελείωσιν* dicens, intelligat scriptor. Quam disquisitionem instituentibus, jam statim nobis in oculos incurrit ex loco laudato, illam re verâ jam effectam proponi per christi oblationem. Attamen beati demum *τετελειωμένοι* vocantur (XII: 23): unde concludere licet, scriptorem distinxisse inter *objectivam τελείωσιν* in christo, et *subjectivam τελείωσιν*, quae deinceps in singulis credentibus obtineat. De priore hîc sermo est, ut de jesu operis effectu. Iterum significat: ad finem a Deo propositum credentes pervenire, sive *τελείους* (coll. XII: 23) fieri: ast vero quid hoc aliud, quam (quemadmodum de christo vidimus) ad summum perfectionis humanae fastigium escendere, uti et ad gloriam illi adjunctam. Arcissime igitur cohaeret cum τοῦ Paulini *δικαίος* notione.

Ad hanc *τελείωσιν* hominem perducere lex non poterat, quae εἰς τὸ διηνεκὲς οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι (X: 1). Ejus sacrificia minime poterant κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα (IX: 9). Quid? quod univ-erse valeret dictum: οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος (VII: 19), neque *τελείωσις διὰ τῆς Λευϊτικῆς ἱερωσύνης ἦν* (VII: 11). Sub V. igitur T. nulla *τελείωσις* fieri potuit (coll. XI: 40); quocirca nunquam ideam sive finem suum consecutus esset homo, nisi christus illam *τελείωσιν* constituisset. Sed ille re verâ hanc effecit unico suo sacrificio, semel oblato, quod in aeternum viget, ut adeo *τελείειν* hoc loco non significare possit *reddere perfectum*, sed duntaxat *perfectum judicare*. Tales a Deo considerantur et tractantur *Christiani*. Quum autem animadvertimus, quâ omnibus, quae jesus fecit et passus est, in hac epistolâ substitutionis sensus subjiciatur: facile perspiciamus christum, qui patiendo *τέλειος* evasit, simul considerandum esse suorum loco perfectum evasisse, ut in ipsius *τελειώσει* suorum perfectio contineretur. Perpeccionibus

perfecto reddito CHRISTO, cum illo simul perfecti redditi sunt omnes, qui fidem ei habituri sunt, *Christiani*. In eo humana natura jam pervenit ad *δόξαν*, quā JESUS fruitur (II:10); in eo gloriā et honore illam jam coronatam intuemur. Quae omnia ita fieri potuerunt, quia arctissimo vinculo cum hominibus junctus erat.

Idem vero CHRISTUS si dicitur perfectos constituisse *τοὺς ἁγιοζομένους*, inde sequitur verbum *τελείβειν* plus indicare in hac epistolā, quam *ἁγιάζειν*; etenim contrario posito magna hīc obtineret *ταυτολογία*. Verbum enim *ἁγιάζειν* proximus respondet in Codice s. *Hebraico* קָדַשׁ, ut significet *segregare aliquid ex magnā congerie ad singularem Deo acceptum usum*, quo sensu saepius de sacrificiis et sacerdotibus occurrit: *Dei cultui dicare*. Est igitur e sacris depromptum verbum (coll. IX:13). Eādē ratione *Christianae* ecclesiae socii vocantur *ἅγιοι, ἁγιασμένοι*, quatenus ex humani generis multitudine segregantur Deique cultui dicantur: quā in appellatione N. T. scriptores imitati sunt usum loquendi, in V. T. de *Israële* usurpatum, עַם קָדוֹשׁ, קְדוּשִׁים, vocato, quoniam secretus a Deo erat a reliquis gentibus, ut Ipsi esset populus peculiaris <sup>1)</sup>. *Οἱ ἁγιαζόμενοι* ergo sunt *segregati, Dei cultui dicati*, et quidem (II:11) per CHRISTUM, qui ὁ *ἁγιάζων* vocatur. Similiter hoc fecit per mortem, quae IX:18 sqq. tamquam inaugurandi foederis sacrificium describitur (cff. IX:13. X:10, 29. XIII:12). Nam hac suā morte suos quasi segregat ad Dei cultum, quos simul jam eādē morte perfecit <sup>2)</sup>. Longe igitur illi a vero aberrare dicendi sunt, qui illud verbum per *sanctum facere* explicant. Quatenus tamen ex *segregatione objectivā* q. d. *subjectivā* sponte profluere censenda est, eatenus nec sanctitatis internae excludenda est notio, sine quā aditum ad su-

1) V. Abreschius, p. 110, 151, 160. 2) V. Bleekius, ad II: 11.



premam felicitatem dari non posse quisque concesserit. Et hoc in primis patere videtur ex X:19-25, ubi de sanctificatione, tamquam expiationis fructu, mentio injicitur 1).

B. Ubi autem accuratius inquirimus, quinam tribuantur fructus huic τελειώσει, quâ gaudent ἡγιασμένοι cum christo fide conjuncti: statim videmus triplicem in hac τελειώσει contineri fructum, nempe liberationem a quâcumque peccatorum poenâ, mortis metus sublacionem, et felicitatem in communionem cum Deo aeternam. Quorum duos priores effectus jure nuncuparemus magis *negativum*, posteriorem vero magis *positivum* τελειώσεως fructum.

1. Primum itaque ἡγιασμένοις remittuntur peccata.

a. Καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν jesus sacrificio esse effectum, scriptor jam in initio hujus epistolae indicat; sed nimis univarse hoc enunciat, quam ut certam quandam inde deprohere possimus notionem. Eodem purgandi expiandique sensu haec formula occurrit apud Graecos interpretes, Job. VII:21. Verbum enim καθαρίζειν non semper de sanctificatione interna usurpari satis patet ex IX:22, 23; ex verbo Hebr. כִּפָּר, atque ex multis, quae apud Graecos classicos occurrunt, locis, ubi τῷ καθαίρειν a crimine culpâque liberandi, et expiandi tribuitur significatio 2). Facile quidem concedimus, IX:14 *subjectivam* magis urgendam esse notionem 3): licet vel sic tamen expiationis significatio et hoc loco non prorsus omittenda videatur. Etenim causa, cur ab operibus mortuis abstracti, non amplius fiduciam in iis ponerent, in eo cernebatur, quod conscientia esset tranquillata, ita ut Deum viventem pio animo colerent 4). Eodem sensu,

1) V. Thol., *Beil.*, p. 117.

2) Qui loci vidd. apud Bl. III. 622. Cf. Abr. ad h. l., et Vinke, l. l. p. 266.

3) V. Thol., *Beil.*, p. 118.

4) Cf. omnino Bleekius ad h. l.; Usteri, l. l. p. 221; et Thol., qui » Das καθαρίζειν, » inquit, » bezeichnet hier den negativen Akt der Schuldtil-

X: 2, *καθαρευμένοι* appellantur ii, qui peccatorum veniam consecuti sunt. Ad quam interpretationem confirmandam, conferri debet X: 22; hoc enim loco *Christiani* dicuntur *ἐβραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ*, cui sententiae superstruitur adhortatio ad fidem et spem firmiter servandam. Plures interpretes priorem hujus sect. partem ad justificationem, posteriorem ad sanctificationem referunt <sup>1)</sup>: nobis vero magis se commendat eorum <sup>2)</sup> sententia, qui utrumque hemistichium de justificatione explicant, ita ut mutata *Christianorum* per *CHRISTUM* coram Deo conditio denotetur, quocirca jure in sequentibus admoneantur. Nam s. 23 participia praeclare cum proxime antegressis copulantur, quibus incitarentur *Christiani*, ut cum fiducia accederent. Spectare enim videtur scriptor lavationes *Judaeorum*, in primis sacerdotum, qui iis potestatem nanciscebantur Deum adeundi. Constructio praegnans *ἐβραντισμένοι* potest explicari per *adspergi atque sic lustrari*, vel adspersione liberari a malâ conscientia. Sensus igitur est: qui per *CHRISTI* mortem expiati, plenam peccatorum veniam consecuti sumus <sup>3)</sup>. Quid? quod scriptor formulas: *purgari atque remissionem peccatorum obtinere*, promiscue usurpat (coll. s. 22). — *CHRISTUS* porro dicitur aeternam redemptionem invenisse, et deinceps per proprium sanguinem in coelum intrasse (IX: 12); nam hoc praecipue indicari liberationem a peccatorum poenâ *tum* ex eo efficere licet, quod antiquis, hoc consilium habentibus, sacrificiis opponitur, *tum* ex uberiore definitione s. 15, ubi mors *CHRISTI* dicitur fuisse *εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων*. Cum autem additur *εἰς ἀπ. τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παρ.*,

» gung, welcher aber im Bewusstseyn des Vfs. so genau mit dem positiven  
 » des neuen Lebens mit dem Versöhner zusammenhängt, dass er sofort als das  
 » consequens hiervon den lebendigen Gottesdienst bezeichnet.»

1) Sic Calvinus et Beza.

2) Sic Thol. et Bleekius.

3) Cf. cl. Vinke, p. 242-244.

de poenae remissione, minime vero de sanctificatione accipi potest 1).

Cap. IX:28 legimus, CHRISTUM semel esse sacrificatum εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, quod nihil aliud significare potest, nisi portare peccata, i. e. sequelas, quas peccantes meruerant, perpeti 2). Quae vero formula ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας X:4 occurrit 3), significat auferre peccata, ut non amplius adesse censeantur; et cum alluditur ad Jcs. LIII:12, auferantur, quia aliorum loco peccatorum onus latum est 4). Hujus consequens est, quod peccata non amplius Christianos premere considerentur. Quod apertius etiam enunciatur formulâ εἰς ἀβέτησιν ἁμαρτίας (IX:26), ita scilicet ut abrogata et prorsus deleta sint.

Magis propriis verbis, IX:22, de ἔφεσει ἁμαρτιῶν loquitur scriptor, iisque diserte significat, peccata non amplius cogitari, neque imputari, peccatorem liberari a peccatorum poenâ, quam jam expertus est, vel olim experturus esset 5). Hoc enim consilium fuit sacrificiorum, quae sub V.F. offerebantur, neque obscure hanc notionem ipse tradit scriptor, allegans Jer. XXXI:34, Ὅτι ἴλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν κ. τ. λ. (VIII:12. X:17), unde concludit: ἔπου δὲ ἔφεσις τούτων, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας 6).

Peccatorum remissio, poenae liberatio, conscientiaeque tranquillatio sive purgatio primarius recte dicitur, quem CHRISTUS attulit, fructus. Venia illa peccatorum prae ceteris tribuitur JESU sacrificio pro peccatis, quod offerebat ex voluntate Patris. *Immediatum* igitur, q. d. nexum assumere noster videtur,

1) De hoc l. cf. supra dicta.

2) Cf. omnino doct. Doedes, l. l. p. 347 sq., coll. p. 304, qui hanc vocis significationem tuetur contra Bleekium, ad h. l., et hujus disq. p. 156 sq.

3) Cf. X:11, περιαιρεῖν ἁμαρτίας, de qua formulâ vid. Bleekius.

4) Cf. Vinke, p. 250 sqq., 277 sqq.

5) Cf. Vinke, p. 61 sqq., Lotze, *over de verg. der zonden*, S. H. 1802, p. 6 sqq., 91 sqq.

6) Cf. Doedes, l. l. p. 352.



cum peccantium loco mortem passum suoque sanguine eorum peccata coram Deo expiasset JESUM affirmat.

b. Jam vero oritur quaestio: *quaenam* peccata remittantur?

Ad quam facillimum videtur respondere, nam nullâ additâ determinatione de *peccatis* disserit noster. Quid? quod contendit, fideles semel in aeternum per CHRISTI mortem liberatos esse a *συνειδήσει πονηρῆ* (X: 2, 14, 23), CHRISTUMQUE *αἰωνίαν λύτρωσιν* attulisse (IX: 12; coll. X: 20 *ἰδὸς πρόςφωτος καὶ ζῶσα*), quibus enunciatis perspicue significatur, vim ejus sanguinis ad *omnia* Christianorum peccata se extendisse.

Attamen tres loci in hac epistolâ reperiuntur, qui huic sententiae obstare videantur. Horum primus, IX: 15, enunciat, CHRISTUM mortuum esse *εἰς ἅπ. τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων*, quod ansam praebuit nonnullis statuendî ea tantummodo peccata, quae ante conversionem commissa erant, condonatum iri <sup>1)</sup>. Haec vero difficultas facile evanescit, si

1) Prae aliis Loefflerus, *Ueber die Kirchl. Genugthuungslehre*, S. 23 sq., Tellerus, in *Praef.* ad ipsius *Lexicon*, et Reichius. Nuperrime idem statuit A. L. G. Krehl, *N. T. Handwörterbuch zur Darstellung der christl. Glaubens- und Sittenlehre*, 1843, p. 180. » Die Vergebung der Sünden, » inquit, » beziehe sich nicht auf die actuellen Sünden der Christen, » sondern erstrecke sich nur auf die Sünden, welche ausser Christo und seiner Gemeinschaft, also von Nichtgetauften begangen worden sind. » Hanc sententiam refutat Rudelbachius, in *diario für Luth. Theol. und Kirche*, 1843, II. 130-138, haec scribens: » Wenn aber nur der Verfasser des Hebräerbriefes von einer *Ἀπολύτρωσις τῶν* etc. spricht, so kann er ja unmöglich meinen, » dass nur die unter dem alten Bunde begangenen Sünden das Objekt der Erlösung seien — lehrt er ja doch ausdrücklich kurz vorher (IX: 12), Christus » habe eine *ewige* Erlösung gefunden, und bald darauf (X: 14), er habe mit » *einem* Opfer in *Ewigkeit* vollendet, die da geheiligt werden (die *ἀγιαζόμενοι* sind ja aber doch wohl dieselben, die Freimüthigkeit haben zum Eingang » gango ins Heiligthum durch das Blut Jesu, X: 19) — sondern das allein » kann der Sinn seiner Rede sein, dass auch die unter dem ersten Bunde » begangenen Sünden, die nicht entschützt werden konnten durch das stets

ad scriptoris consilium attendimus. Scilicet probare voluit, prius foedus peccata re verà expiare minime potuisse, neque idcirco ad hoc probandum de aliis peccatis, quam quae sub priori illo foedere commissa erant, loqui necesse habebat. Praeterea, siquidem hujus sententiae patroni sibi constare vellent, statuendum iis esset, non nisi peccata, *ante* JESU mortem perpetrata, remissa fuisse: at quid tunc dicendum foret de *Judaeis* gentilibusque, qui deinceps *Christianam* religionem amplexi sint <sup>1)</sup>? Quomodo hac assumptà sententià, de *Christianorum* τελειώσει, et aditu ad Deum sermo esse posset?

Duo reliqui loci, ad quos provocant, VI: 4-6 et X: 26, itidem minime indicant, nullam peccatorum post fidem commissorum inveniri remissionem; nam hic sermo est de iis, qui plane a religione *Christianà* deficient, et ad pristinam idololatriam atque impietatem revertant. Ita deficientibus nulla remanet remissio, quae tantummodo invenitur in CHRISTO, ab illis rejecto. Quemadmodum sub V. T. peccata voluntaria, qui de industrià, manu q. d. sublatà contra Deum perpetrabantur, sacrificiis expiari non potuerunt, ita etiam sub N. F. ἐκουσίως ἁμαρτανοντῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, οὐκ ἔστι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται βυσία <sup>2)</sup>. Ceteroquin nullum peccatum exceptum legimus. Quid? quod in nullà fere N. T. epistolà tam late extenditur JESU sanguinis vis, quippe quae et antea commissa peccata expiare dicatur (IX: 15, 26).

2. *Alter* cum hac peccatorum remissione arctissime conjunctus JESU mortis effectus, in nostrà epistolà traditus, est

---

» wiederholte Thieropfer, verlohnt sind durch den Tod J. C.: als ein ewiges » Opfer hat dies nicht blos *vorwirkende*, sondern *rückwirkende* Kraft. An » die Stelle der πάστις τῶν ἁμαρτημάτων ist am Ende der Zeiten (ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων) die ἀβέτησις τῆς ἁμαρτίας getreten (IX: 26).»

1) Usteri, l. l. p. 129 sqq., Thol. ad h. l., et in *Comm.* ad Rom. III: 25.

2) De difficillimis his locis cff. Gerlachius, Vinke l. l. p. 394 sq., et Doedes, l. l. p. 553.

ipsius mortis abolitio, atque adeo ab anxio mortis metu liberatio 1). Hunc fructum inde ad nos emanare docet locus II: 14, 15, de quo paulo accuratius nobis est disserendum. CHRISTUS ibi dicitur verus homo evasisse, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον; nam humanâ indutâ naturâ mortem subire eamque abrogare potuit. Diabolus hîc describitur veluti ὁ ἔχων τὸ κράτος τοῦ θανάτου, ad quam denominationem explicandam minime trahere volumus de *Sammaële*, mortis angelo, commentum, neque τὸ κράτος τοῦ θανάτου ex Hebraismo interpretari per *imperium mortiferum, exitiale*. Etenim continua s. scriptorum est doctrina, mortis inferendae imperium adhuc diabolo concessum esse, qui, quemadmodum primos homines ad peccatum seduxit eosque morti subjecit, etiam eorum posteris mortem, peccati poenam infert, quae aeterni exitii comprehendat notionem. Nam qui causa peccati est, idem et malorum omnium, peccato adjunctorum, et in animi pernicie praesertim positorum mortisque auctor sit necesse est. Hinc in libro *Sapientiae* de industriâ traditum legimus, c. II: 24: Φθόνῳ διαβόλου θανάτος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κοσμόν. Quocirca homines dicuntur e potestate Dei in Satanæ potestatem transiisse atque ab eo morte affici. — Observandum est, θανάτου, vel hujus generis vocem, in Satanam minime absolute transferre scriptorem: nam, licet CHRISTUS ζωῆ recte vocetur, malum absoluto q. d. sensu ipsi diabolo tribui non potest, nisi *Manichaeismum* promulgare velis 2).

Hunc jam θανατοκρατοῦντα abolevit JESUS. Verbum καταργεῖν, quod raro apud profanos invenitur, significat ἀεργον ποιεῖν, infringere, opprimere, debilitare, inutile et inefficax reddere, imo tollere, penitusque abolire. Sensus est: ut

1) Cf. copiosa expositio, quam exhibent Thol. in *Comm.* p. 168 sqq., et Seilerus, *Ueber d. Vers. J. C.*, II. p. 117 sqq.

2) Hac de re vid. Olshausenus, *Opp. Theol.* p. 195.



CHRISTUS penitus frangeret atque aboleret Satanæ vim et imperium, ita quidem ut nulla ei amplius sit potestas, per mortem perniciem inferendi 1). CHRISTUS ergo suâ morte potestatem ademit diabolo; quâ vero ratione? Ad hanc quaestionem noster locus non diserte quidem respondet: sed vel sic tamen, reliquam hujus epistolæ doctrinam consulentes, nonnulla inde efficere possumus, ad scriptoris mentem explicandam. Jam satis patet ex verbo *κταργεῖν*, cum minime putasse, CHRISTUM suâ tantum de vitâ aeternâ doctrinâ, mortis terrore depellendo, id fecisse. Si porro s. 9 legimus, ubi dicitur pro omnibus mortem gustasse, et reputamus, sanctissimum JESUM non sibi nec ipsi mori opus habuisse, ut propria expiaret peccata, sed ubivis proponi tamquam sacrificium pro peccatis suorum, aliter sentire non possumus, quin scriptor statuerit, per CHRISTI mortem ita ademptum fuisse diabolo in *Christianos* imperium, ut cum eo jam mortui considerandi sint.

At *positivè* etiam q. d. ratione CHRISTUS hoc fecerat. Ille enim vitæ erat princeps, qui Sacerdos evasit secundum potentiam vitæ indissolubilis (VII: 16), qui per Spiritum aeternum se ipsum Deo obtulit irreprehensibilem (IX: 14), mortuus quidem, sed tamen semper vivens (VII: 25), atque hanc vitam cum suis communicat, tamquam summus Dux ad vitam beatam. Idem *κληρονομίαν αἰώνιαν* consecutus (IX: 15), et *ἀτίος τῆς σωτηρίας αἰωνίου* exortus est (V: 7-9). Quid? quod veluti *πρόδρομος* jam intravit atque gloriâ est coronatus. Sic morte *κατὰ δύναμιν* jam profligatâ, *subjectiva* etiam q. d. hujus victoriae manifestatio aliquando cernetur. Non ergo dicitur homini hodie non incumbere moriendi necessitas; contrarium diserte traditur IX: 27; sed mors non diutius diaboli imperio subjecta est, ita ut deletum sit quod in morte metuendum erat. Hoc CHRISTUS moriendo effecit, ut, quibus mors

1) Cf. Abreschius et Bleekius, ad h. l.

habita jure fuerat peccati merces, iidem mortis cogitatione non amplius horrescerent. Qui semel cum christo fide conjunctus vivit, non amplius moritur: ubi hanc terram relinquit, ad arctiorem cum Deo communionem transit in coelum, quod fide jam intraverat cum praecursore. Hac itaque ratione redemit omnes, ὅσοι φόβω θανάτου, διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, ἔνοχοι ἦσαν δουλείας (II: 15). Sive jungas δουλείας cum voce ἀπαλλάξῃ, sive cum ἔνοχοι, quod nobis quidem praefertendum videtur <sup>1)</sup>, sensus idem salvusque manet. Homines versantur in servitutis conditione, servituti obnoxii metu mortis, et quidem per totam vitam. Inde eos christus liberavit, qui mortem subeundo Satanae imperium, sub cujus potestate et tyrannide habebantur, prostravit atque abolevit. Nunc liberati sunt hoc metu: nam mors laetus in beatioram vitam et gloriam jam transitus iis exstat.

3. Plura quoque continet τελειώσεως notio ex nostrâ epistolâ <sup>2)</sup>, nempe non tantum, ut supra jam verbo indicavimus, negativam, sed positivam etiam q. d. partem. Quicumque in christo τέλειται sunt, eo ipso participes sunt summi Dei favoris atque benevolentiae. Quod tamen quominus subjectivae, quae antecesserit, sanctitati tribuendum esse statuas, prohibet locus X: 1-18, in primis s. 10 et 14, ubi discrete christi obedientiae τελειώσις adscribitur. Ejus enim προςφορὰ atque τὸ ποιεῖν divinae voluntatis hic idem significant, atque ἡγιασμένοι tum jam dicuntur perfecti fuisse μιᾶ illâ προςφορᾷ, ut adeo subjectiva agendi ratio nondum in censum venire posset, quae potius objectivae τελειώσεως dicenda sit consequens.

Jam vero si in Dei gratiam restituuntur, tamquam υἱοὶ

1) Abreschius et Böhmius vocem δουλείας jungant verbo ἀπαλλάξῃ, quia ἔνοχος plerumque cum Dativo construitur. Kuinoelius autem et Bleekius recte monuerunt, hanc esse constructionem durioram, vocem ἔνοχος cum Gen. quoque copulari Marc. III: 29.

2) Quomodo autem peccatorum remissione universa δικαιοσύνη jam contineatur, egregie exposuit Philippi, l. 1. p. 107 sqq., 120 sqq.

τοῦ θεοῦ (II: 10-13), simul jus iis concessum est felicitatis aeternae possidendae, quae perfecte justis fuit promissa (XII: 23). Vel in afflictionibus manent *οἰοί*; quid? quod ipsum, quo afficiuntur, malum, paternae Dei benevolentiae iis signum est. Nam quos diligit Dominus, hos castigat: flagellat omnem filium, quem suscipit (XII: 5-11). CHRISTO intrante coelum (IX: 12), cum eo intrarunt, per eum Deum adeunt (VII: 25). Hinc saepius usurpatur formula ἐγγίξειν τῷ θεῷ, προσέρχεσθαι τῷ θεῷ. In V. T. כָּרַב solennis est dicendi formula ad indicandum aditum ad externum sanctuarium (X: 1), quā merito exprimitur in hac epistolā liber aditus, aperta cum Deo communio (IV: 16. VII: 19, 25. X: 22), cujus jus iis conceditur <sup>1)</sup>. Quatenus CHRISTUS *πρόδρομος* jam intravit, cum eo in coelo dicuntur, qui ei obediunt, sed, licet fide felicitatem facto jam possidentes, ipsi tamen deinceps singuli intrare debent *Christiani*. Tum vero immediatā Dei communione fruuntur (VI: 20. X: 19), quae divinae majestatis gloria anthropomorphica descriptione <sup>2)</sup> Dei vocatur thronus (IV: 16. VIII: 1. XII: 2).

Ita jam facto <sup>3)</sup> gloriae, quam CHRISTUS consecutus est, fide sunt participes. Haec autem gloria variis nominibus indicatur, veluti *δόξα* (II: 10), *αἰώνια λύτρωσις* (IX: 12), *σωτηρία αἰώνια* (V: 9) cet. Singuli fideles cum ad hanc *δόξαν* deinceps sint ducendi, scriptor etiam exponit, quomodo

1) Cf. Harlessius, ad Eph. II: 18.

2) Cf. Thol., *Beil.*, 118.

3) Hoc si tenemus, magnum elucescit discrimen inter scriptoris sententiam, atque eam, quam Rutg. v. d. Loeff proposuit in *Disput.* jam l., in diario *W. in L.* 1844. II. in primis 343 sqq. Nempe hic *subjectivo* tantummodo q. d. sensu, hanc *τελείωσιν* intelligendam esse contendit; nos contra statouimus *objectivo* etiam q. d. sensu, Dei ratione habitā (in het Godsidee), veram representationem, quā nostras partes egerit Christus, hac in epistolā doceri. *Sunt τέλειοι* coram Deo *ἡγιασμένοι*, licet subjective ad ipsam internam *τελείωσιν* nondum perducti. Vir doct. p. 380 de objectivā quidem representatione q. d. loquitur, sed quomodo haec cum ceteris conveniant, non plane perspicimus.



CHRISTUS ad hoc munus idoneus sit redditus, ut adeo illam δόξαν cum suis communicare possit, summusque eorum salutis dux evadere. Nam alium etiam terrestri JESU operi vindicet finem: sic enim

III. CHRISTUS aptus est redditus ad nostras res cum misericordiā curandas, quod tertio loco nobis exponendum est. Ut esset s. Sacerdos in coelesti sanctuario, multosque filios ad gloriam duceret, requirebatur in eo misericordia, quā infirmitatum humanarum misereri posset. Hinc fratribus per omnia similis esse debuit. Quod docet scriptor in primis II: 17, 18, et IV: 15, 16; coll. II: 10. V: 7.

CHRISTUS debuit evadere ἐλεήμων, atque fidelis Pontifex τὰ πρὸς τὸν θεόν, εἰς τὸ ἰλάσσεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ, et τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. Misereri eum oportuit τῶν ἀσθενείων ἡμῶν. Jam supra <sup>1)</sup> observavimus, JESUM tum demum factum esse s. Sacerdotem, postquam intravit sanctuarium (V: 9. VI: 19 sq. VII: 26. VIII: 4), quamvis oblatione terrestri ad munus inauguraretur. Hoc quoque loco tamquam Pontifex in coelis occurrit: nam idcirco dicitur γενέσθαι ἐλεήμων καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς, quia κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιώθηται, ad quae secundum s. 10 et 14 mors prae ceteris censenda est, quod omnino confirmatur verbo πέπονθεν, s. 18. Terrestre ergo ejus opus aliquatenus proponitur veluti praeparatio ad munus coeleste, licet quā tales haec perpressiones et mors etiam pertineant ad peccatorum expiationem. CHRISTUS factus est ἐλεήμων, quae vox per se spectanda neque cum sequentibus jungenda videtur <sup>2)</sup>. Nam etiamsi non possumus assentiri iis, qui putent scriptorem statuisse, CHRISTUM antea non misericordem fuisse, vel sic tamen minime absurdum nobis videtur statuere, CHRISTUM didicisse exercere misericordiam cum hominibus. Δύναται συμπαθεῖσαι, commisereri, nam hoc verbum, ut X: 34, de iis ponitur, qui

1) V. p. 125.

2) V. Bleekius ad h. l. p. 364 sq.

commoventur aliorum miseriis (cf. V: 2, *μετριοπαθεῖν*); et quidem *ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν*, quibus non *adversa* tantum, et peccata, sed universe quaevis miseria denotatur, tum ex imbecillitatis animi corporisque humani, tum ex incommodorum et vexationum sensu nata (s. 3, 5, 10 et 11). Misericors factus, fidelis etiam factus est Pontifex. Πιστὸς autem optime explicari potest, *qui fidem praestat*. Τὰ πρὸς τὸν θεὸν Accusativus est, cum ἀρχιερεὺς conjungendus, ut significet: quod ad conjunctionem cum Deo atque res coram Deo agendas. Quae nam autem res significantur, uberius indicatur verbis: εἰς τὸ ἰλάσασθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ; quibus igitur significari non potest expiatio, semel in hac terrâ facta, sed multo potius est opus coeleste cogitandum est. Ast vero de hisce Sect. 2 plura dicemus.

Huc accedit quod tamquam Sacerdos debuerit opitulari miseris, τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι, quibus sine dubio denotantur filii Dei fratres, hac in terrâ continue compluribus tentationibus expositi, ad quas ferendas auxilio indigent. Δύναται h. l., aequè ac IV: 15 et VII: 27 peculiarem habet vim, nam indicat potentiam et voluntatem <sup>1)</sup>.

Ut igitur talis misericors et fidelis evaderet Pontifex Adjutorque suorum, κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, adeoque ἐλεήμων factus est, κατὰ πάντα tentatus καθ' ὁμοίωτητα, χωρὶς ἁμαρτίας. Jam vero ut aptus existeret ad munere sacerdotali fungendum, Deusque suum in eo conformando assequeretur finem, moralis aderat necessitas ut homo fieret. Haec autem necessitas sequitur ex locutione <sup>2)</sup> ἕθεν ὠφέειλε (cf. V: 3, 12). Fratribus, de quibus s. 11 sermo erat, similis reddebatur κατὰ πάντα, unum tantum peccatum si excipias, *verus homo* est factus, ut aequè ac ceteri homines affectus quoque externos variique generis tentationes subiret,

1) Cf. interpretes Calv., Abr., Thol., Bleekius, alii.

2) V. Bleekius ad h. l. Cf. quae supra scripsimus p. 147 sq., in annot.

atque perpeſſionibus mortique exponeretur noſtrarumque infirmitatum miſereri poſſet. In humanâ illâ naturâ, ita ſcriptor porro monet, *κατὰ πάντα tentatus eſt, χωρὶς ἁμαρτίας* <sup>1)</sup>. Unde duæ oriuntur quaëſtionës: quarum *altera* hæc eſt, quomodo CHRISTUS poſſet evadere *misericors*, *altera* quatenus homo ſanctus *tentari* potuerit.

A. Ad priorem cum CALVINO reſpondere poſſumus: „Non quod experimentis neceſſe habuerit Filius Dei formari ad miſericordiæ affectum, ſed quia non aliter perſuaderi nobis poſſet, ipſum eſſe clementem et propenſum ad nos iuandos, niſi exercitatus fuiſſet in noſtris miſeriis; hoc enim, ut alia nobis datum eſt” <sup>2)</sup>. Veruntamen altiorem cauſam ſcriptor ponere videtur. An fortasſe in eo poſita erat, quod *θεάνθρωπος* JESUS CHRISTUS, veluti hominum caput repræſentativum ſive ideale q. d., humani generis cogitandi ſentiendique rationem prorsus induere deberet, atque ita humanæ ſocietati injungi, ut nos in ſuam coeleſtis vitæ contraheret communionem? Illam myſticam ſi aſſumamus unionem, quodammodo veluti divinari nobis licet, quaenam divina profunditas hoc enunciato contineatur <sup>3)</sup>. Debilem cum aſſumeret naturam

1) Bleekius ad h. l. p. 368 hunc ſenſum ſubſternit: »Denn in dem was er gelitten ſelbſt verſucht kann er den Brüdern in den über ſie verhängten » Verſuchungen helfen.“ Thol.: »In ſo fern“ etc.

2) Ad h. l.; cui Bleekius aſſentit, p. 365. »Denn allerdings,” inquit, »kann es nicht als ein Satz mit abſoluter Wahrheit betrachtet werden, dass » es für den Sohn Gottes, damit er Mitleiden mit unſerer Schwachheit bekommen und eben dadurch geeignet würde ſich derſelben anzunehmen, bedürfe » ſelbſt die Schwachheit der menſchlichen Natur an ſich erfahren zu haben. » Aber für uns Menſchen muſs es auſſerordentlich tröſtlich, beruhigend, » Vertrauen einflößend ſein, dass derjenige, welcher zur Rechten der göttlichen Majeſtät ſitzt als unſer Hoherprieſter, ſelbſt die Verhältniſſe erfahren und durchlebt hat, in welchen wir uns ſo von Schwachheit umgeben und in ſolchem Grade hilfſbedürftig fühlen. Und ſo iſt es die erhabenſte und rührendſte göttliche Herablaſſung, welche ſich in der Fleiſchwerdung des Sohnes Gottes, auch von dieſem Geſichtspunkte aus betrachtet, zu erkennen gibt.“

3) Thol. ad h. l.: »Seiner göttlichen Natur nach trug Chriſtus das



humanam, tum peccantibus, illius naturae sociis, potuit συμπαθήσαι, tum vero etiam, quum ipse τὴν ἀσθενείαν humanam experiretur, tanquam s. Sacerdos pro iis preces fundere. Obedientiam et misericordiam cum disceret ipse humano more patiēdo atque pugnando, prouti verus homo ipse expertus hominum miserias, aptus fieri potuit, ad expiationem coram Deo efficiendam humanamque naturam in se conspicuam reddendam. Itaque christus re verâ misericors *evasil*, humanâ, quae patiēdi capax esset, naturâ assumptâ: nam nemo magis alterius miseriam tangitur, quam qui ipse mala pertulit. Quae cum ita sint, nullus tam idoneus est dicendus ad succurrendum, qui ipsum sequantur, *Christianis*, eosque fide fiduciaque implendos <sup>1)</sup>).

B. At vero, et haec est *altera*, quam proposuimus, quaestio, quo tandem modo τοῦ περιπέσειν notio in JESUM sanctissimum quadrare potest? Duo hic sunt tenenda.

Ac *primum* quidem, notio *πειρασμοῦ* non necessario ponit peccatum. Πειρασμός enim dicitur quodcumque vim habet in homine, cujuscumque generis affectus, dolores, anxietas, animi cruciatus, varii generis seductiones ad peccatum, quae extrinsecus oriuntur: quocirca tentationes non unice ex propria cupiditate profluunt. Externa quaecumque sensibus ob-

» Bewusstseyn des Anrechtes Gottes an die Menschen zugleich mit dem seines Erbarmens gegen sie in sich, menschlich musste er der Menschen Bedürfniss fühlen und daher an ihre Stelle treten.« Cf. ejus *Beil.* p. 102 sqq. — Schleierm. *der Christ. Glaube* cett. I. 2. p. 290 sq. II. § 125. 2; Olsh. ad Rom. VIII:3; Funkius, I. I. p. 325; et scriptor Anon, *Einige Leerst. der Herv. Verk.* 1828. I. p. 72 sqq.

1) Cf. Gerl. ad h. l. Hase, *Hutt. rediv.* Ed. 4a. p. 240: » In Christo, » inquit, » hat Gott für uns eine Gestalt gewonnen, im Sohne erkennen wir » den Vater, ihn vermögen wir menschlich zu lieben, im Bruder den Gott, » über uns waltend allezeit, und einst auf dem Weltrichterthron geträstet wir » uns eines Herzens, das in sich selbst erlebt hat, wie einem Menschenherzen » zu Muthe ist in der verführerischen Lust, wie in der Sorge und Angst des » Lebens.«

jecta, quibus fides exercetur, quaeque ad peccatum ducere possunt, tentationes recte dicuntur. Haec autem hic unice in censum veniunt, nam propria cupiditate tentari minime potuit sanctus JESUS. Quid? quod diserte hoc enunciat scriptor, cum, quod *secundo* observamus, diserte addit: *χαρὶς ἀμαρτίας* cum fuisse tentatum, ac si dicat: longe aberat, quin illae tentationes JESU ducerent ad peccatum <sup>1)</sup>. Prae ceteris sibi informat *πειρασμοῦς*, qui in ultimae vitae perpe- sionibus obtinuerunt (II: 18. V: 7, 8); quamquam tentatio- nes, quibus JESUS antea, in primis in deserto, expositus fuit, excludere minime necesse est.

Itaque non est quod cum nonnullis statuamus, aliquam

1) Vidd. argumenta pro hac interpretatione apud Bleek. III. p. 15 sq. Cf. Ullmannus, *Ueber die Sündl.* etc., ed. 3<sup>a</sup>. in primis p. 18 sqq., ubi inter alia haec habet: » Diese Möglichkeit der Sünde (die wir natürlich unterscheiden » von der Anlage zur Sünde als einem Minimum des Bösen selbst) gehört zur » vollkommenen Wahrheit der menschlichen Natur, die wir auf keine Weise » in blossen Schein verwandeln und doketisch beeinträchtigen dürfen, sie ist » erforderlich, um den Begriff der Versuchung, wie wir ihn in der Schrift » finden, auf Christum anzuwenden, sie ist Bedingung der Vorbildlichkeit » Christi als einer wirklich menschlichen. » Hase, *Leben Jesu*, ed. 2<sup>a</sup>, p. 67; Calv. ad Mt. XXVI: 29, » Stalte, » inquit, » imaginantur sine certamine » victorem, qui tentationum sensu eum eximunt. » J. H. Scholten, I. I. p. 21 sq. 79 sq.; Thol. ad h. l.; et Schleierm. in *Or. s.* 2, ad Heb. IV: 15. Cf. de formulâ *χαρὶς ἀμαρτίας* Rutg. v. d. Loeff, I. I. in *W. in L.* 1844. II. p. 309, in annot., et p. 310, ubi egregie dicit: » Christus is oorzaak van » volkomene zaligheid, overmits Hij eerst gedurende de dagen zijns vlee- » sches, door strijd en oefening en door zijne algeheele zelfopoffering, een » hoogepriester geworden is, zoo als ons betaamde. *Zonder zonde*, als daad » of vrijwerkend beginsel, was de Heer altijd, ook vóór zijn dood, maar eerst » na dezen laatsten strijd was Hij in den volsten nadruk *afgescheiden van » de zondaren*, en zal eens *zonder zonde*, in den ruimsten zin des woords, » gezien worden, wanneer Hij ten tweedemale wederkomt. Vg. Hebr. VII: 26. » IX: 28. » Quatenus JESUS naturae humanae *peccatrix* personam suscepisse dicendus sit, vid. ap. Rutg. v. d. L. I. I. p. 363 sqq., qui tamen nimis sen- suales et divinae voluntatis dissimiles cupiditates, quae peccata jam sunt ha- benda, Conservatori tribuere nobis videtur. Cf. quae de Jesu ἀναμαρτησία scripsit doct. G. J. Vinke, I. I. p. 163 sqq.

peccati cupidinem Sospitatori infuisse 1): nam si datam *πειρασμῶν* notionem rite teneamus, scisus, in humanae *ἀσθενείας* conditione versans 2), in carnis diebus, anxietatis poculum omnino deprecari potuit. Etenim in tam gravissimarum perpeccionum metu nihil adhuc peccati continebatur: ne dicam cum suam voluntatem Patris voluntati prorsus subiecisse 3). Extrinsicus tantum cum aggressae sunt tentationes ad peccatum; pugnam enim carnem inter et spiritum apud Sospita-

1) Veluti Dippelius, Menkenius, Hasenkampius et Irvingius, de quibus cff. Thol. ad IX: 28, p. 340, et Funkius l. l. p. 322.

2) Recte C. Palmerus, *Ev. Katechetik*, 1844, p. 456: » Wenn die » Schrift von Christo sagt, er sey versucht worden, so muss also etwas an » ihm gewesen seyn, in das ein solcher Reiz eindringen, in dem er ein sünd- » liches Begehren hätte veranlassen können. Das war sein Fleisch, d. h. » seine menschlich schwache Natur (Mt. XXVI: 41). — Allein diese Schwäche, » die allem menschlichen Fleisch und Blut anhaftet, ist an sich selbst nicht » Sünde noch Sündealust, sie ist das, so lange nicht der Wille in einen sol- » chen Gedanken einstimmt, auch bei uns noch nicht; und in Jesu um so » weniger, als der Gedanke selber nicht aus seinem eigenen Innern kam, — » sondern durch Versuchung von aussen an ihn gelangte; da nun derselbe » nur als ein fremder in seine Seele kam, sein eigener Wille aber sich frei » davon hielt, ja sogleich beim Erkennen des Wunsches als eines bösen sich » feindlich demselben entgegenstellte, so blieb er, obwohl er versucht ward, » obwohl die Sünde an ihn herankam, dennoch ohne Sünde.« Cf. Stierius, l. l. ad II: 14, 18.

3) Egregie monet Thol. de tentatione in deserto, p. 184 sq.: » Wenn nun » die Leidenscheu der menschlichen Natur vorzog, anstatt durch die Dornen- » und Krouzbahn langsam zur *τελειώσει*, zur *δύνα* und *τιμῇ* durchzudringen » (V: 9, II: 9, XII: 2), sofort der Herrlichkeit theilhaftig zu werden, so liegt hierin » noch nichts Sündliches; vielmehr muss die menschliche Natur das Uebel fliehen » und den ungetrübten Zustand suchen; auch hier wäre die Sünde erst eingetreten, sobald das Uebel, als die *ἐντολή τοῦ πατρὸς* angesehen und dennoch » geflohen worden wäre. Aber der u. s. w.« Cf. p. 415 sqq., ubi inter alia egregia haec habet: » Die Antwort auf die Frage, ob das Obzigen für ihn » eine Kunst gewesen sei, ergibt sich hienach von selbst: — es war eine » Kunst und auch nicht eine Kunst, gleichwie für die sogenannte schöne Seele » es eine Kunst und auch nicht eine Kunst ist, nichts Unschönes zu thun.« Prae ceteris hic quoque conferri meretur doct. J. J. v. Oosterzee, *Het leven van Jesus*, I. 570 sqq., in primis 586-589.



tozem obtinuisse nobis informare non possumus. Sin autem extrinsecus afferrentur, vel ex humani animi cruciatibus profuerent tentationes, minime talem vim in eo habere poterunt, ut non statim de iis victoriam reportaret. Eodem, quo eum aggrediebantur, tempore eas depressit, ne momento quidem iis indulset, quemadmodum aquae gutta in vas igneum decidens statim absorbetur <sup>1)</sup>. Vel sic tamen in verâ ejus humanâ naturâ possibilitas peccandi q. d. ponitur: quam si tollas, quomodo cum nostro scriptore hominibus exemplo eum fuisse dicas? Quum esuriebat atque sitiebat, quum corporis animique doloribus contorquebatur, tentari his omnibus extrinsecus potuit. Quam ob causam obedientiam discere debuit ratione supra expositâ (V: 7-9); humana ejus natura per pugnam contra peccatum pervenire, imo erumpere debuit ad sanctitatis conditionem, ad *τελείωσις*, in quo homini nullum remanet peccandi periculum. Praeclare hoc enunciat BENGELIUS: „Sic compati potest: nam et sine peccato, et tamen vere est tentatus.”

Summa igitur eorum, quae scriptor hac de re docet, huc redit. Qui re verâ misereri posset nostrarum miseriarum, iis experiundis, ille nostras infirmitates, pericula et tentationes cognoscere atque discere debuit, ipseque duris malis perfectendis obedientiâ exerceri, ut multos homines ad gloriam duceret coelestem. Sic aptus evasit ad nostras res cum misericordiâ curandas <sup>2)</sup>.

IV. Sed terrestre JESU opus valet etiam ex scriptoris mente, ad sanctos nos reddendos: quâ de re nunc paucis moneamus.

A. Jam supra indicavimus <sup>3)</sup>, CHRISTI opus tamquam Deo

1) Bengelius ad h. l.: „Quomodo autem, sine peccato tentatus, compati potest tentatus cum peccato? In intellectu, multo acrius anima Salvaloris percepit imagines tentantes, quam nos infirmi: in voluntate, tam celeriter incursum earum retudit, quam ignis aquae guttulam sibi objectam. Expertus est igitur, quâ virtute sit opus ad tentationes vincendas.”

2) Cf. Seilerus, I. I. I. p. 385 sq.

3) V. p. 149 sqq.

praestitam obedientiam sibi informasse scriptorem, quocirca illius exemplum *Christianis* imitandum proponit (XII: 2). Hinc sponte sequitur, ipsius opus hoc etiam spectasse, ut suos ad ἀγιασμόν duceret (XII: 14); sed de his, supra expositis, hic uberius disserere omittimus. Unus adhuc notandus est locus XIII: 13, ubi *christi* exemplum sequi admonentur *Christiani*. Contumeliam probrumque mundi, vel ut nonnulli interpretantur <sup>1)</sup>, priscorum fidei sociorum, ferre debebant, prouti *christus* illud tulerat, seque abnegare.

B. Attamen non unico exemplo suo sanctos suos reddit *christus*: perpassiones etiam ejus et mors eo valent. Hoc diserte docet scriptor IX: 14, quo loco *christi* oblatio dicitur non solum conscientiam tranquillare, sed etiam purgare a mortuis operibus ad Deum vivum colendum. Unde porro efficere licet, scriptorem sibi animi emendationem proposuisse non ut *primum* consilium, quod ubivis in peccatorum remissione situm proponitur, sed ut *secundarium*, sive *ultimum* operis *jesu* consilium. Morte enim *christi* purgatur animus a malâ conscientia (cf. X: 22), cujus consequens est Dei vivi cultus: quo ergo significatur practica q. d., quam expiatoria *jesu* mors in fidelium mentibus habet, vis atque efficacitas <sup>2)</sup>. Et quo alio modo, nisi verba contorquere velimus, haec interpretemur, quam quod peccatorum remissionis certitudine nova nobis infundatur vita divina, quâ *christo* fidem habentes Deum spiritu et veritate colere possint, quaeque adeo plane sit opposita mortalis legis operibus, ubi hoc vitae principium prorsus desideratur <sup>3)</sup>.

Sic *et* peccata remittit Deus, *et* menti animoque inscribit suam legem (VIII: 10): nam hujus mutationis venia peccatorum est fundamentum, ὅτι ἴλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ

1) Cf. Bleek., ad h. l.

2) Cf. Usteri, l. l. p. 221.

3) Cf. Bleek. ad h. l., et Neander, *Pfl.* II, p. 674.

ἔτι (s. 12; coll. X: 15); ut adeo indicet quo modo novum illud foedus existere possit. Tota *Christianorum* vita veluti sacrificium fit eucharisticum pro acceptae liberationis gratiâ: ad quod offerendum Hebraeos *Christianos* incitat: δι' αὐτοῦ οὖν ἀναφέραμεν θυσίαν αἰνέσεως διαπαντός τῷ θεῷ, ταυτέστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὄνόματι αὐτοῦ (XIII: 15), atque alio loco: διὸ βασιλείαν ἀσάλευτον παραλαμβάνοντες, ἔχωμεν χάριν, δι' ἧς λατρεύωμεν εὐαρέστως τῷ θεῷ, μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας (XII: 28). Quos omnes locos si consideramus, perspicuum nobis fit ultimum terrestri *Jesu* operis consilium fuisse, ut suos a peccati dominio liberaret: sed hoc ita eum fecisse, ut prius peccatorum remissionem eorumque τελείωσιν objective efficeret. Ubivis enim superstruit scriptor sua monita promissionibus, quae, nullâ antegressâ emendatione internâ, *Christianis* dantur. Hoc maxime in oculos nobis incurrit, si inspicimus locum X: 19-25, ubi *primum* fundamenti, cui innititur adhortatio, instar ponitur peccatorum venia antea facta, s. 19, ἔχοντες οὖν: tum vero mutata, quae iis cum Deo intercedit, connectio laudatur, ἐβρίαντισμένοι τὰς καρδίας κ. τ. λ. <sup>1)</sup>, ut eo magis instigentur ad constantiam pietatemque *Christianam* exercendam. Quid? quod satis superque confirmatur hicce nexus *Jesu* mortem inter indeque profluentem animi emendationem, ubi reputamus *Jesu* mortem sanguinisque effusionem universe in hac epistolâ cum sacrificio piaculâri conferri <sup>2)</sup>.

V. Tandem ex scriptoris ratiocinatione jure derivare possumus, terrestre *Jesu* opus itidem valuisse ad abrogandum cultum *Leviticum*.

Ad quod probandum mente tantummodo revolvamus hujus epistolae enunciata, ubi *Mosaicus* cultus atque lex res imperfectae dicuntur, ad perfectionem ducere non valentes (VII: 19. IX: 9. X: 1). Facile quidem concedimus, hunc cultum, ut adhuc

1) V. p. 174.

2) Cf. cl. Vinke, p. 410 sqq.



vigentem proponi, unde scriptorem statuisset lector suspicari posset, utramque religionis formam juxta se invicem esse mansuram: sed contrarium ex totâ hac epistolâ diserte apparet; nam plane supervacaneus proponitur cultus *Judaicus*, *Christiana* vero religio, ut per se perfecta omnibusque numeris absoluta. Etiam si ergo scriptor putasset, illum cultum per breve adhuc tempus vim habiturum esse: diserte tamen idem indicat, se antiquatum et prope evanescentem eum considerare (VIII: 13). Religiosam ei significationem non amplius attribuit. *Christiani* fide jam toti vivunt in αἰῶνι μέλλοντι; cum christo jam coelum intrârunt (X: 22), jamque participes sunt regni, quod non concutitur (XII: 28). Quaecumque obtinent in αἰῶνι τούτῳ sive καιρῷ ἐνεστηκότῳ (IX: 9), ad eos non spectant, qui a christo inde liberati sunt, per quem διόρθωσις exstitit. Quocirca omnes eae res sunt abrogatae (IX: 10), veluti illa δῶρα καὶ θυσίαι, μόνον ἐπὶ βρώμασι κ. τ. λ., quibus enim cibis οὐκ ὠφελήθησαν οἱ περιπατησάντες. Ita sibi invicem opponuntur *Judaei* atque *Christiani* (XIII: 10), qui diverso altari utuntur, diversa offerunt sacrificia (XIII: 15), diversum habent Pontificem. *Christiani* autem christum sequi debent ἕξω τῆς παρεμβολῆς, ubi *Judaei* erant (XIII: 13).

Quae cum ita sint, minime negare possumus, *jesum* ex scriptoris mente hoc quoque consilio venisse mortemque subisse, ut *Mosaicam* antiquaret legem: nam, Dei voluntate irreprehensibiliter perfectâ, priora sacrificia abrogavit <sup>1)</sup>. Ἀναίρει τὸ πρῶτον, ἵνα τὸ δεύτερον στήσῃ (X: 9). *Christiani* erant purgati, quoad conscientiam a mortuis operibus, quae ex lege fiebant, quaeque ad τελείωσιν ducere non valebant, ut vivum Deum colerent (IX: 14).

1) Vidd. Neander, *Pfl.* II. p. 675 sqq., et Theol. ad VIII: 13. Cf. etiam quae supra hac de re disputavimus, p. 99 sq.

## S E C T I O 2.

JESU *opus caeleste.*

Postquam Sect. 1 vidimus quid scriptor doceat de terrestri JESU opere, nunc inquirendum nobis est, quid ex ejus sententiâ JESUS etiamnum, in coelum evectus, suorum in commodum operetur. In quâ re exponendâ variis itidem imaginibus utitur scriptor, a summi Sacerdotis, Regis ac Ducis notione sumtis. Agite! sensum, in iis latentem, indagemus; et *primum* quidem inquiremus, quo nomine JESUS in coelo summus Sacerdos vocetur; *deinde*, quid formula *sedere ad dextram Dei*, quae saepius in hac epistolâ occurrit, significet; *tandem*, quomodo aliquando sine peccato rediturus sit, et quâ ratione tunc suos aeternâ felicitate beaturus.

## § 1.

*Quo sensu JESUS in coelo summus Sacerdos vocetur.*

Ne supra dicta iteremus, fundamenti instar hîc ponimus, munus suum sacerdotale, e scriptoris mente, tum demum adortum esse JESUM, cum post mortem in coelum evectus esset. Ejus enim resurrectio e mortuis atque evectio in coelum ubi vis ut res in facto positae ponuntur<sup>1)</sup>, quod plane congruit cum scriptoris consilio, ex quo CHRISTUM, ut summum ac perfectum Pontificem, significaret. Primaria, quae hac imagine exprimitur notio, prouti diximus, est *Mediatoris* q. d., per quem vinculum quod hominibus cum Deo intercedebat, quodque peccato disruptum erat, restitutum est firmumque

1) Cf. Neander, l. I. p. 679 sqq. Scriptorem horum factorum ponere veritatem, patet ex XIII: 20, ubi diserta resurrectio e mortuis commemoratur.

manet: nam aeternus est Pontifex, qui suorum locum coram Deo semper occupans illud vinculum in perpetuum constituit: atque per eum continue aditus ad Patrem iis patet.

Jam vero quaestio oritur, quid *CHRISTUS*, ut summus Sacerdos<sup>1)</sup>, in coelesti sanctuario peragere dicatur. Variis denominationibus hoc ejus opus in coelo indicatur, quae sibi invicem lucem afferunt. Praecipuae hae sunt: ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν (VII:25), ἰλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ (II:17), τοῖς πειραζομένοις βοηθεῖσαι (II:18), εἰς εὐκαιρον βοήθειαν (IV:16), et ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν (IX:24). Tum *CHRISTUS* etiam vocatur ὁ ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας αὐτῶν (II:10), atque αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου (V:9).

Disquisitionis initium ducamus a formulâ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ τίνος. Universe ἐντυγχάνειν τίνι est: accedere, adire aliquem, ut cum eo colloquamur, eum consulamus, aliquid ab eo petamus (Act. XXV:24). Sed et adhibetur potissimum in judiciis sensu accusandi κατὰ τίνος (Rom. XI:2) vel deprecandi ὑπὲρ τίνος (Rom. VIII:27, 34. Hebr. VII:25): cumque hoc etiam officium incumberet Sacerdotibus, ut pro peccatis populi coram *Jehová* intercederent: *CHRISTUS* autem munere eo, ut Sacerdos, fungens inducatur, jure dicitur ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς τὸν θεὸν ἐντυγχάνειν<sup>2)</sup>. Si vero accuratius inquirimus, quid hoc verbo indicetur, in maxime diversas partes abeunt interpretes. Multi enim illud intelligunt de proprie sic dictâ precandî actione<sup>3)</sup>. Sed *primum* non perspicimus, quomodo hoc congruat cum potestatis notione, quae Conservatori in coelo tribuitur. Porro nulla mentio injicitur in V. T. de precibus, a summo Sacerdote pro populo fuis: *Thalmudistae* et *PALO* hoc tantum commemorant, ut adeo

1) De summi Sacerdotii notione cf. Rntg. v. d. Loeff, l. l. 1844. II. p. 306.

2) Cf. Heinrichsius, in Excursu II. p. 235.

3) Ita prae aliis *Lutherani*, e. g. Calovius, et nuperime Gerlachius ad h. l.



longe absit, quin huc spectari certo constet. Etenim ipsa sacrificandi actio re verà erat supplicatio. Tum plures ejusmodi figuratae dictiones occurrunt, e. g. XII: 24, ubi, quum *JESU* sanguis loqui dicatur, quid aliud significatur, quam ejus sanguinem causam esse nostrae felicitatis, quemadmodum *ABELI* sanguis recte dicitur causa poenae *CAINI*. Tandem formula commutatur cum dictione *coram Deo apparere* (IX: 24). Denique minime statuere nobis licet, scriptorem tam materiale, ut ita dicam, sibi informasse coelum <sup>1)</sup>.

Neque tamen calculum adjicere possumus eorum sententiae, qui, laxam secuti interpretationem, synonymum illud putent verbi *σώζειν* <sup>2)</sup>: nam haec vox praecedat, atque adeo *ταυτολογία* adesset minime ferenda. Porro alibi pro illa occurrit *ιλάσασθαι κ. τ. λ.* vel *ἐμφανίζειν κ. τ. λ.*, ita ut arctissime cohaerere videatur cum antegresso sacrificio. Aequè vero minus iis assentimur, qui statuunt, *τῷ ἐντυγχάνειν* significari unum actum semel absolutum, cujus vis in aeternum viget: nam in eo ipso, quod in aeternum manet, causa latet, cur perfecte servare possit eos, qui per ipsum Deo appropinquant, quod Sacerdotes illi mortales atque terrestres non poterant.

Quae omnia si reputemus, ea nobis optima videtur interpretatio, quâ hujus formulae sensus huc redit: perpetuo in coelo curat suorum res, nequiquam post *CHRISTI* mortem cessat ejus opus in servandis hominibus conspicuum, sed pergit etiam in coelis consulere saluti hominum atque prospicere, ita ut continue felicitatem cum iis velit communicare, qui per ipsum Deum adeant. Curam igitur indicat saluberrimam, quâ *Sospitator* continue suam prosequitur ecclesiam, vi redemptionis semel in terrâ factae <sup>3)</sup>. Quod intercessionis opus arctissime

1) V. supra pag. 131 sqq.

2) Cf. *Morus*, in *Dissert. Theol. et Phil.*, diss. 8, de notionibus univ. in *theol.* I. p. 298 sqq., et *Lotze*, l. I. p. 65 sq.

3) Ita *Calvinus*, *Theol. et Bleekius*. Cf. *Schleierm. Glaub. II.* § 125, 5: »Christus,» inquit, »bleibt vermöge seines gauzen Daseyns der

junctum est cum regiâ ipsius dignitate, quem nexum indicat scriptor, conferendo eum cum MELCHIZEDECO, qui Rex atque Sacerdos simul erat.

Hujus intercessionis indoli multam lucem affert formula, quae occurrit IX: 24, ubi CHRISTUS dicitur intrasse εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. In voce νῦν perpetui CHRISTI ἐμφανισμοῦ inest notio, atque ex toto hoc enunciato primum sequitur, cum coelum ingressum aretissimâ frui cum Deo conjunctione, deinde nostras eum ibi res curare, advocati instar sive patroni<sup>1)</sup>.

Fundamentum perpetuae hujus intercessionis positum esse in terrestri ejus opere, perspicue patet ex II: 17, ubi res, quas CHRISTUS Pontifex apud Deum<sup>2)</sup> peragit, maxime dicuntur τὸ ἰλάσσεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ. Etenim jam vidimus hanc formulam cum propter contextûs rationem, tum propter conjunctionem cum verbo βοηθῆσαι s. 18, esse referendam ad perpetuum JESU in coelo opus, ut adeo, nisi vocis ἰλάσσεσθαι: <sup>3)</sup> tegendi, placandi, propitiandi vim extenuare velimus, perpetuam significet JESU intercessionem, quâ continue suorum in commodum, ad vim sui sacrificiî semper vigentis provocet, eamque cum singulis communicet. Hac enim curâ Christianorum peccata continue tegit condonatque, atque iis ad Deum aperit aditum.

Sed coeleste JESU Pontificis opus propriis etiam verbis in hac epistolâ indicatur: nam et magis universa notio τοῦ βοηθῆσαι (II: 18) et βοηθείας (IV: 16) de illo usurpatur, et CHRISTUS vocatur ἀρχιερεὺς (II: 10). At vero haec enunciata uberiori

n Vertreter des ganzen menschlichen Geschlechts, um dessentwillen allein es von Gott gesegnet wird;" et J. Heringa *El. fil. Nagel. Leerr.* p. 102 sqq.

1) Cf. Deylingius, *J. C. ἐμφανισμὸς in conspectu Dei*, Heb. IX: 24, Lips. 1722.

2) Πρὸς τὸν θεόν. Prónomen πρὸς hoc loco convenit cum Germanico: zur Vermittlung mit. Cf. Rutg. v. d. Loeff, in diario *Waarh. in Liefde*, 1844. II. p. 307 in ann.

3) Vidd. Wolfius ad h. l., Heiur. et Bleekius.

non indigent interpretatione. Hoc unum verbo est notandum; CHRISTUM IV: 16 proponi talem; *per quem* Patris auxilium assequi liceat: quod vero auxilium II: 18 ipsi christo tribuitur. Sensus ergo huc redit: CHRISTUS perpetuo vivit, ut suos coram Deo repraesentet; iis continue auxilio adest, eorumque dux est ad vitam aeternam.

In Sacerdotis adeo coelestis notione moralis continetur facultas atque voluntas aliorum res cum misericordiâ curandi: sed hujus rei perpetrandae potestas etiam atque imperium, docente nostro scriptore, ei concessa sunt. CHRISTUS enim non tantum dicitur summus Sacerdos, qui ἐντυγχάνει, sed etiam, qui regiâ simul gaudet dignitate. De hoc vero coelesti Jesu munere § sequenti videbimus.

## § 2.

*Sedet ad dextram τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς.*

Quum supra jam exposuerimus scriptoris hac de re enunciata, nunc nonnulla tantum monenda restant *primum* de formulâ, quae in hac epistolâ saepius occurrit, *sedere ad dextram Dei*; *dein* de regiae Jesu dignitatis indole, exinde derivandâ; *denique* de illius imperii consilio.

I. Supervacaneum nobis videtur observare hanc formulam *sedere ad Dei dextram*, quae solennis occurrit apud nostrum scriptorem, sumtam esse e Psalmo CX: 1, nam discrete hic locus citatur I: 13. Ne igitur de hujus Psalmi argumento quid dicamus, nobis hic sufficiat monuisse, nostrum huic Psalmo vim *Messianam* tribuisse. Sed de formulae sensu variae interpretum exstant sententiae. Parvâ cum mutatione saepius repetitur, prouti I: 3, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς. s. 13, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως κ. τ. λ. VIII: 1, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς. X: 12 sq., ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ· τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος ἕως



κ. τ. λ. XII:2, ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ ἐκάθισεν. — Omnes fere interpretes explicant formulam *sedere ad alicujus dextram* per *societatem imperii*, ita ut summum indicet honorem imperiique divini consortium. Quae explicatio egregie convenit cum loquendi usu apud Orientales <sup>1)</sup>. Imago enim sumpta est e more principum Orientalium, qui, in solis sedentes, summum suum legatum sive ministrum, cui libera rerum omnium concessa est potestas, ad dextram suam collocant; tum vero reliquos magistratus suo singulos ordine disponunt <sup>2)</sup>. Attamen BLEEKIUS hoc in dubium vocat <sup>3)</sup>, hanc formulam explicans de peculiari a Deo concessâ curâ atque auxilio. Deus cum eo foret, ut adeo de omnibus suis inimicis victoriam reportaturus esset. At vero, licet hanc notionem minime excludamus, primo tamen loco omnium rerum nomine Patris gubernationem nostrum scriptorem cogitasse, statuere cogimur, duobus prioribus lectis capitibus, ubi tamquam omnium rerum dominus prae Angelis etiam, ministris illis, celebratur. *Praeterea*, quod ipse BLEEKIUS concedit, gloriae Sospitatoris coelestis notionem nobis informare non possumus, nisi eum continue ad suorum commodis inservendum agentem cogitemus. Ut vero hos tueri possit, eum omnibus imperare necesse est. Idem jam indicare videntur haec enunciata: JESUM ét summum Pontificem manere in coelo, secundum ordinem MELCHIZEDECI, ét simul ad Dei dextram sedere (VIII:1 sq.). Cap. X:12 autem opponitur τὸ καθίξεν CHRISTI τῷ ἱερέωντι Sacerdotum terrestrium. Ille sedens longe erat superior ministris stantibus, atque simul post peractos

1) Argumenta recenset Knappius, *Diss. de J. C. ad dextram Dei sedente*, in *ipsius scriptis varii arg.* t. II. Comm. 2. Cf. P. D. Schouw Santvoort, *Diss. de Oratione, a Petro Apostolo, narrante Lucâ Act. II:14-36, habitâ*, p. 112-120, et nostrae disq. p. 110.

2) Vid. Muntinghius, *Geschied. der menschl. naar den Bijbel*, X. annot. 69<sup>a</sup>, p. 27. Cf. Calv. ad I:3.

3) In *Comm.* ad I:3.

labores quiescens proponitur, cum *Judaeorum* Sacerdotes continue καθ' ἡμέραν administrarent<sup>1)</sup>. Eodem fere modo sibi invicem opponuntur dominus *christus* et Angeli ministri (I: 7, 8).

Quod autem attinet ad verba, quae adduntur, τοῦ θρόνου (XII: 2) et τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς vel ἐν οὐρανοῖς (I: 3. VIII: 1): sine dubio periphrasin exhibent Dei excelsi, qui in coelis habitat, unde ejus majestas refulget, atque ita inseruiunt ad honorem, qui *jesu* contigerit, majore in luce ponendum.

II. Quid autem jam concludere licet ex hac formulâ aliisque hujus epistolae locis, quod attinet ad *jesu* imperii naturam, sive *indolem*?

Jam statim in oculos incurrit, scriptorem illud imperium minime retulisse ad *vim moralem* *jesu* doctrinae, quâ etiam nunc continue in hominibus operatur: nam in totâ hac epistolâ de *jesu* doctrinâ nulla fere obtinet mentio. Porro in eo ipso vis ipsius operis collocatur, quod non moriatur, sed vivere pergat (VII: 25), veluti Angelorum dominus describitur (I: 6, 7, 13, 14), rerumque omnium gubernator, non solum ergo eorum, qui ipsi fidem habent (I: 2); diserte porro ejus inimici memorantur (I: 13. X: 13): quae omnia non nisi de potestate imperantis factisque suam vim probantis accipi possunt<sup>2)</sup>. Deinde dicitur talis, cui Angelorum adoratio jure contingit (I: 6), quique in coelo manet suorum patroaus atque adjutor (II: 18. IV: 16). Tandem imperio potitus esse proponitur, tamquam praemio, postquam in coelum eVectus erat, atque adeo postquam inter homines versatus fuerat et docuerat (I: 3. XII: 2); dum observatu dignum est, formulam *sedere ad Dei dextram* numquam usurpari de gloriâ,

1) Cf. Thol. ad X: 12.

2) Vid. cl. Heringa, *Over Jesus kon. waardigh.* 8. H. 1797. Cf. P. van der Willigen, *Over het eig. wezen des Chr.*, ed. 2<sup>a</sup>, p. 231 sqq.

quã ante humanæ naturæ assumptionem fruebatur, sed unice de honore, quo post ejectionem in coelum coronatus est, pugnae terrestriis præmii instar. Quae si ita sint, jure statuere licet, scriptorem non morali, sed *proprio* sensu sibi informasse CHRISTI imperium.

Sæpius jam observavimus, tamquam præmium ei a Deo oblatum esse hoc imperium, propter perfectam ejus obedientiam, quam usque ad mortem Ei præstitit: at obiter etiam monendum restat, CHRISTUM non tantum collocatum dici ad Dei dextram, sed et consedissee suumque locum occupasse (I: 3. VIII: 1. X: 12. XII: 2). Notandum saltem nobis videtur, in hac epistolâ ubivis occurrere verbum intransitivum *καθίξεν*, *consedere, se collocare* <sup>1)</sup>, etiamsi hoc nimis urgere non audeamus.

Si autem omnium rerum dominus dicitur CHRISTUS, eique simul τὸ ἐντυγχάνειν et ἐμφανίζειν (VII: 25. IX: 24) tribuitur, sponte apparet pugnae speciem, quae hîc adesse videatur, exoriri ex diversissimis illis regis atque pontificis imaginibus. Quas ut in concordiam redigamus, scriptoris mentem sic nobis informare debemus, ut CHRISTUS nomine quidem Patris omnium rerum sit dominus, sed et hominum, sibi credentium, personam agens, Deo Patri aliquatenus subsit, etiamsi propter potestatem ei concessam jure suo suorum felicitatem possit promovere.

Quod denique attinet ad ejus imperii terminos, quam latissime patens describitur: nam omnium rerum dominus et gubernator est factus, *κληρονόμος πάντων* (I: 2), ut vel Angeli Dei ei subjecti sint (I: 6). Omnia enim ejus pedibus subjecit Deus etc. (II: 8), quod in JESU jam impletum intuemur (s. 9). Peculiari autem sensu eum suorum regem esse habendum ut observemus vix opus est (coll. III: 6. X: 21).

1) CR. Abreschius ad I: 3; Bleekius I. p. 336, et II. p. 81; et Thol. in *Comm.* p. 25.



III. Primarium jese imperii *consilium*, docente scriptore nostro, hoc erat, ut JESUS CHRISTUS praemium consequeretur, perfecto ejus opere dignum. Sed de hoc consilio supra jam de industriâ exposuimus. Sessio ejus ad Dei dextram ubicunque proponitur, ut propriam ejus gloriam honoremque primo loco spectans.

Arctissime huic juncta est *Christianorum felicitas*. Ita enim est ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας (II: 10), αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου (V: 9), imo vero κεφάλαιον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν κ. τ. λ. (VIII: 1). Ex his aliisque locis jure efficere videmur, idcirco etiam ex mente scriptoris JESUM gloriâ et honore esse coronatum, ut homines ei obedientes cum eo ad gloriam eveherentur. Neque solum ut summus Sacerdos paratus atque idoneus est (δύναται) ad suos perpetuo servandos (IV: 15. VII: 25), sed nunc simul etiam *potest* hoc facere: nam potestatem atque imperium possidet, quo illis auxilium ferat eosque ad δόξαν ducat.

Haec tandem sessio ad Dei dextram ubi *sempiterna* cogitatur, dum haec terrestri oeconomia perdurat, usque ad CHRISTI παρουσίας tempus, quo coronatus redibit, ad Dei regnum, omnibus hostibus devictis, illustri ratione condendum, piosque suos cultores in illud colligendos. Idem jam scriptum erat in Psalmo CX: 1, ἕως ἂν ἴδῃ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου (I: 13. X: 13; coll. II: 8). Quid? quod X: 12 sq. diserte dicitur: εἰς τὸ διγενεῖς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ <sup>1)</sup>. Quinam ejus hostes hîc spectentur, non indicat scriptor: simplicissima tamen eorum videtur interpretatio, qui putent, non certos quosdam spectari hostes, sed omnia huc referenda esse, quae CHRISTO ejusque regno resistant. Omnia ei subjecta erunt, sive fide, quâ cum agnoscant, sospitatorem suum et dominum, sive vi, quâ

1) Si saltem cum Bleekio interpungas. ThoI. autem cum Beza aliisque comma ponit post διγενεῖς.

exitialem suam vim amittant. Sensus hic est: CHRISTUS non desinet regiam suam manifestare dignitatem, antequam omnis vis, ipsi opposita, erit fracta<sup>1)</sup>. Unde tamen non sequitur, eum postea non amplius locum suum ad Dei dextram occupaturum esse (cfr. I: 10-12. VII: 28, alique loci).

## § 3.

*Redibit aliquando χωρίς ἁμαρτίας, suisque aeternam  
tribuet quietem.*

Ambo haec, quia aetissime inter se sunt conjuncta, junctim sunt spectanda, ut adeo haec § duabus absolvatur partibus, quarum prior quidem inquireret, quid scriptor doceat de JESU reditu, posterior vero, quaenam res huic reditui conjunctae cogitentur.

I. Saepius in hac epistolâ de JESU reditu mentio injicitur. Sic CHRISTUS dicitur ἐκ δευτέρου χωρίς ἁμαρτίας ὀφθήσεσθαι τοῖς αὐτοῦ ἀπεδεχομένοις εἰς σωτηρίαν (IX: 28): porro memoratur ἐγγίζουσα ἡμέρα (X: 25), quâ ὁ ἐρχόμενος ἤξει (s. 37), cui superstruitur adhortatio ad constantiam μέχρι ἄχρι τέλους (III: 6, 14. VI: 11). Ut vero horum dictorum sensum rite capiamus, ad duas nobis respondendum est quaestiones. Altera haec est: Num CHRISTI adventum proprie, an improprie sibi informavit scriptor? altera: quando ex ipsius mente hic reditus obtinebit? Quominus autem de CHRISTI παρουσία hic uberius inquiramus, prohibet nostrae dissertationis ratio; omniam ad hoc rite faciendum universas Apostolicae aetatis notiones hae de re exponere necesse foret<sup>2)</sup>.

1) Vid. Thol. ad X: 13; Bleekius ad I: 13 et X: 13; et doct. Schouw Santvoort, l. l. p. 120-128.

2) Lectores potius ablegamus ad H. A. Schottum, *Comm. exeget. dogm. in eos J. C. sermones, quâ de reditu ejus ad judicium futuro et judicandâ provinciâ ipsi demandatâ agunt.* Jen. 1820; ejusdemque *Comm. in op. ad*

Paucos tantum hujus epistolae locos, quibus de hoc reditu fit mentio, inspiciamus, quidque ex hisce jure concludi possit videamus:

A. Quod attinet igitur ad *prius*: quid scriptor intellexit per Domini reditum? Ad hanc quaestionem solvendam prae aliis in censum venit IX: 28, nam reliqui loci nimis universe de hoc reditu loquuntur, quam ut inde definitam exhauriamus notionem. Hunc vero locum si absque praejudicatis opinionibus legimus, vix dubium esse potest, ut nobis saltem videtur, quin scriptor reditum proprie sic dictum spectaverit. Ἐκ δευτέρου χωρὶς ἁμαρτίας ὀφείσεται τοῖς κ. τ. λ. Hoc ét ipsa verba ét orationis contextus satis diserte docent. Occurrit verbum ὀφείσεται, valde idoneum ad visibilem indicandam apparitionem, prouti itidem de christi post resurrectionem apparitionibus usurpatur (cfl. Luc. XXIV: 34. Act. IX: 17. XXVI: 16. 1 Cor. XV: 5-8). Atque hic visibilem reditum postea locum habiturum cogitasse scriptorem, satis docet futurum, quo utitur tempus; quid? quod evectioem in coelum ad priorem adhuc adventum refert.

Difficile autem est dictu, quid indicetur per additum *χωρὶς ἁμαρτίας* <sup>1)</sup>. Verisimillima nobis videtur eorum sententia <sup>2)</sup>, qui vertunt: ita ut peccatum nihil facessat ei negotii. Non tamquam victima piacularis apparebit, non ut

*Thess.*, ad c. IV: 13-16; H. H. Donker Curtium, *Of de App. meenden dat de komst van J. tot het jongste gericht nog bij kunnen leestijd zoude plaats hebben?* etc., in *Bijdr. tot de Godg. Wet.*, IX. p. 153, 305; van Kooten, *ib.* X. p. 41, 531; *Antwoord van Donker Curtius*, *ib.* X. p. 186 sqq.; J. A. Dornerum, *De oratione Christi eschatologica*, Stuttg. 1844; U. P. Goudschaal, *Onderzoek in welk en' onderscheiden' zin Jesus in het N. T. wordt gezegd te komen?* etc. in *Waark. in L.* 1839. III. p. 469-507; et J. J. van Oosterzee, *De denkbeelden van den Ap. Paulus aang. den tijd der wederkomst van Christus*, in *Jaarb. v. wet. Theol.* II. p. 49 sqq.

1) Variæ de h. l. sententiae vidd. apud Thol. et Blæckium.

2) Ita Schulzius: *ohne Sündengeschäfte*; Böhmius, Kuinoelius, et aliquatenus Thol. ad h. l. Cf. J. J. Doedes, I. l. p. 347 sq.



expiet peccata, sed ad piis suis cultoribus felicitatem perennem largiendam. De ipsius peccato hic sermo esse nequit, quippe quod in priori etiam adventu ei non adhaeserit. Quum autem tum propter aliorum peccatum apparuerit, nunc rediturus est alio plane proposito, veluti rex gloriâ coronatus, εἰς σωτηρίαν, quae verba potissimum cum verbo ἰφθήσεται copularem: nam opponuntur verbis εἰς τὸ πολλῶν ἀνευγεκείν ἁμαρτίας in priori hemistichio 1). Praeterea conspiceretur τοῖς ἀπὸν ἀπεκδεχομένοις, omnibus illis, qui fidem ipsi habeant, atque ipsius reditum ardentem expectent. Sed in primis oppositio, quae hic obtinet, visibilem arguit reditum: ἐκ δευτέρου ἰφθήσεται, eadem ergo ratione, quâ antea legitimus προσερχθεῖς erat, vel ut s. 26 scribitur, πεφανερωται. Uterque christi adventus cum sibi invicem opponatur, eodem certe modo explicari debet. Quem locum clariorem si rite interpretati simus, obscurius quoque verbum ἔρχεσθαι (X: 37) de visibili extremo reditu explicandum erit. De ratione autem, quâ christus sit rediturus, in hac epistolâ nullam uberiorem factam invenimus mentionem.

B. Sed quando, ita secundo loco quaesivimus, hic reditus obtinebit? De hac praesertim quaestione certi quid statuere vix ausim. Verisimillima tamen nobis adhuc videtur eorum sententia, qui statuunt scriptorem laetâ illius παρουσίας spe ductum, licet certi quid de ipso temporis articulo minime statueret, hunc esse reditum tamquam satis propinquum sibi informasse, adeo ut cum Hierosolymurum destructione arctissime illum conjungeret. Quod minime mirandum est, quia ipse Sospitator sui reditûs tempus plane indefinitum reliquit (Marc. XIII: 32. Act. I: 7), illamque cum urbis templique destructione 2)

1) Vidd. Calvinus, Grotius, Kuinoelius, Bleekius.

2) Vid. J. J. Metzlar, *Verbindt Jezus, Matth. XXIV en XXV, de verwoesting van Jerusalem en het einde der wereld aan elkander? en zoo ja, om welke redenen?* in *diario W.* in L. 1842. H. p. 224-271.

arcissime conjunctum proposuit (Matth. XVI: 27, 28. XXIV). Cui accedit quod fides (ex descriptione XI: 1) hac quoque in re futurum veluti propinquum sibi informet: quocirca nos saltem in hac expectatione nihil quod sacris scriptoribus minus honorificum sit, vel ab illorum auctoritate quid detrahat, cernere possumus. CHRISTUS autem cum prorsus incertum reliquerit, simulque admonuerit, continue se expectandum esse, ejus Apostoli facile statuere potuerunt, eum quam citissime redire *posse*, quae expectatio fovebatur *desiderio* ejus adventus, etiamsi de temporis puncto nihil certi statuerint <sup>1)</sup>. Noster saltem scriptor saepius suis monitis addit commemorationem appropinquantis Domini diei. Sic e. g. X: 25, postquam *Christianos* excitaverat ad fraternam communionem servandam, cum emphasi addit: *καὶ τοσούτω μᾶλλον, ὅσω βλέπετε ἐγγιζουσιν τὴν ἡμέραν*. Per τὴν ἡμέραν scriptor sine dubio intellexit *diem extremum*, quo CHRISTUS in *παρουσίᾳ* suâ gloriosâ pios suos cultores, qui ad finem usque ei fidem praestiterint, colliget, iisque felicitatem perennem tribuet. Primo nimirum loco adventum ejus in excidio *Hierosolymarum* et reipublicae *Judaicae* eversione cogitasse censendus est. Videbant *Christiani* labentem *Judaeorum* rempublicam ejusque occasum appropinquantem: nam temporis signa, a JESU indicata ipsiusque adventum praecessura, jam cernebantur, bella persecutionesque jam aderant, fortasse et laxitatis et defectionis vestigia in ipsis conspiciebantur *Christianis*, unde colligere et suspicari poterant, instare adventum CHRISTI solennem <sup>2)</sup>.

Similiter ejusdem cap. s. 37 vim adjungit exhortationi suae ad constantiam, Domini adventus commemoratione, *ἔτι γὰρ μικρὸν ὅσον ὅσον, ὃ ἐρχόμενος ἕξει, καὶ οὐ χρονοεῖ*, HAGGAEI

1) Cf. Thol. ad III: 6. Recte Gerlachius ad X: 25, „Das Leben,“ inquit, „der Christen soll immer in dem Bewusstseyn, dass der grosse Tag der „Entscheidung herannahet, geführt werden.“ 2) Cf. omnino Bleekius ad h. l.

verbis (II : 3, 4) laudatis e Versione *Alexandrina*. Observari autem meretur, cum verba: ἔτι γὰρ μικρὸν ἔσον ἔσον, quae apud Prophetam non occurrunt, praemittere, unde apparet, eum hunc reditum sibi valde propinquum informasse. Quis vero apud Prophetam per τὸν ἐρχόμενον intelligendus sit, nostra hic non refert, quibus nimirum sufficit scire, scriptorem illud de christo explicuisse: quod eo facilius facere potuit, cum ipsi *Judaei* hunc locum ad *Messiam* referre sole-  
rent 1). Nam non est quod de Deo Patre hoc explicemus 2),

Hinc et iis locis lux affertur, quibus admonentur *Christiani*, ut Evangelii veritati addicti maneant μέχρι vel ἕχρι τέλους (III : 6, 14. IV : 11): nam hanc dicendi formulam de singulorum *Christianorum* morte ut accipiamus non opus est 3). Etenim si observamus, christi reditum admodum propinquum sibi cogitasse scriptorem, omni suâ vi hoc incitamentum explicare possumus, ut adeo sensus huc redeat: donec spes suum scopum, omne suum desiderium nacta erit: quod tum praesertim obtineret, cum, regno Dei consummato, Domini reditûs adesset tempus. Cum igitur multi sine dubio spem foverent fore ut ipsi solennem hunc adventum conspicerent, quam egregium illud ad constantiam praebuerit incitamentum, nemo non videt. Quid? quod inde colligere liceat, formulam τὸ σήμερον (III : 7, 13) magis definitum indicare tempus h. s.: quamdiu terrestris haec oeconomia adest, ante Domini adventum 4).

II. Sed *secundo* jam loco videamus, quatenam, docente nostro scriptore, cum hoc reditu conjuncta forent. Ultimum memoratur *judicium*, quocum artissime copulatur omnium hostium *debellatio*, atque piorum *beatitas*.

A. Cap. IX : 27 sq. ἡ κρίσις diserte copulatur cum christi reditu, quod satis patet ex oppositione, quae hic obtinet

1) Cf. Bleekius ad h. l.

2) Ita Calvinus ad h. l.

3) Ita Grotius, Abreschius, Kuinoelius.

4) Ita Böhmius, Kuinoelius, Klee, Bleekius ad h. l.



inter priorem et posteriorem christi adventum. Quemadmodum hominibus statutum est mori, postea vero iudicium: ita et <sup>1)</sup> christus mortuus est, posteaque rediit ad suorum salutem. Unde simul apparet, scriptorem iudicium statuisse, quod postea cum jesus reditu obtineret, non vero iudicium particulare statim post mortem <sup>2)</sup>.

De mortuorum in vitam revocatione disertam quidem mentionem h. l. non iniecit, sed alii hujus epistolae loci satis perspicue docent, ipsum hanc iudicio anteriorem habuisse. Sub V. jam F., illo docente, hujus mortuorum in vitam revocationis doctrina erat cognita (XI: 4-6, 10, 13-16, 26, 35). Quid? quod ἀναστάσεως doctrinam (VI: 2) inter prima *Christianae* religionis capita ponit. Quaeritur autem, utrum scriptor per κρίσιν impiorum tantummodo, an vero piorum etiam intellexerit iudicium. Prius si sumi posset <sup>3)</sup>, propter oppositum εἰς σωτηρίαν: attamen verisimilior nobis videtur posterior sententia: nam et de hominibus universe sermo est, et iudicium opponitur morti, quae omnibus contingit. *Praeterea* plane convenit cum hujus epistolae analogiâ, in quâ et praemium et poena saepius occurrit (Cf. e. g. VI: 7, 8, 10, 12. X: 29, 35). Deus denique XII: 23 omnium iudex vocatur, ὁ κριτὴς θεὸς πάντων <sup>4)</sup>.

Notandum est, hanc κρίσιν ubique Deo tribui <sup>5)</sup>, non vero christo (IV: 11 sq. X: 27, 30 sqq. XII: 23, 25, 29. XIII: 4), quod magis est mirandum in scripto, quo summa jesus majestas et vis magnifica adscribuntur.

1) Οὕτω καὶ jam legit Griesb., quem secuti sunt omnes fere interpretes hodierni. 2) Cf. Thol. ad h. l. et ab eo laud. Gerdes, *De iudicio particulari*, in *Exercit. acad. Amstel.* 1737. Contrarium ex Apost. scriptis probare studuerunt Briët, *Over de opst. d. dooden*, in *Godg. Bijdr.* 1842, p. 664, et Sonius Swaagman, in *Waarh. in L.* 1840. II. p. 316 sqq. Cf. cl. v. Oordt, *Paulus denkbeelden over dood, opstanding en geregt*, in *W. in L.* 1841. III. p. 537 sqq. 3) Ita Schulzius.

4) Adj. enim πάντων cum voce κριτὴς conjungendum videtur. Cf. Thol. ad h. l. p. 443. 5) Cf. Schulzius, *Eint. z. Br.* p. 95.

B. Cum illo iudicio arctissime conjuncta proponitur omnium CHRISTI *hostium profligatio*.

Multi putant statuisse scriptorem, hanc victoriam atque iudicium locum habiturum esse ante visibilem Domini reditum, unde consequens esset, nullam fore impiorum resurrectionem. Et multa ad hanc sententiam fulciendam afferri possunt. Nam *primum* mentio quidem injicitur de iudicio, non vero de ζωῆ αἰωνίῳ (VI:2), ita ut ἀνάστασις recte diceretur de piis, κρίμα autem de impiis<sup>1)</sup>. *Deinde*, cap. IX:28 non legimus JESUM conspectum iri ab iis, qui ei fidem non habuerint. *Deinde* CHRISTUS dicitur ad Dei dextram sedere ἕως τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ (I:13. II:8. X:12,13). *Porro* post profligatos demum suos hostes rediturus proponitur JESUS χωρὶς ἁμαρτίας, cum nullum amplius peccatum inveniet<sup>2)</sup>. *Denique* apud *Rabbinos* notissima erat doctrina de impiis prorsus delendis.

Vel sic tamen hanc sententiam amplecti non possumus, contra statuentes, scriptorem sibi informasse iudicium impiorum, tamquam JESU reditum consecuturum, neque docuisse eorum interitum. Κρίμα enim αἰώνιον (VI:2) optime generaliiori sensu accipi potest, prouti ad IX:28 jam observavimus, atque epitheton αἰώνιον interitum excludere videtur: Cap. IX:28 impiorum mentionem non injici, mirandum non est, si attendimus ad scriptoris consilium, in eo positum, ut consolaretur lectores, neque ideo alteram hujus iudicii partem negare est censendus<sup>3)</sup>. *Porro* non perspicimus, cur verba ἕως τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ κ. τ. λ. praeter modum ita sint urgenda, cum ex Ps. CX:1 sumta sint. Et quod tandem attinet ad *Rabbinorum* sententiam, id temporis minime inter omnes hac de re constitisse<sup>4)</sup>, sed postea demum a pluribus

1) Ita jam Gerhardus et Schöttgenius.

2) Ita prae aliis Bleckius ad IX:28.

3) Ita jam Theophylactus et Chrysostomus.

4) Cf. Thol. p. 244.

cam esse assumtam notum est. Quidquid est, hoc omni dubio majus est, docente nostro scriptore, CHRISTUM cum aliquando redierit, de omnibus suis hostibus reportaturum esse victoriam.

C. Sed redibit quoque εἰς σωτηρίαν piorum, quibus *aeternam* tribuet *quietem*. Haec autem piorum felicitas, quemadmodum et cetera in hac epistolâ placita, non nisi sub imaginibus proponitur, vel potius verbo indicatur.

Jam hac in terrâ initium capit ἡ οἰκουμένη μέλλουσα (II: 5), quae cum τῆ βασιλεία ἀσαλεύτω (XII: 28) arctissime est juncta ac veluti in unum coalescit. Una dicitur ultimarum dierum periodus, cujus altera pars in caelo continuatur. At tamen, licet de statu mortis disertis verbis non legamus, vita aeterna cum CHRISTI in terram reditu copulatur. Quod ad tempus intermedium, tamquam breve, silentio praetermittitur. Conditio *Christiani* terrestris continuis cum continuebatur afflictionibus, luctis, contritionibus et perpeccionibus, brevi tantummodo durabat tempore, cum mox liberatio adesset (X: 37). Mors autem iis, qui CHRISTO fidem habent, transitus est ad aeternum *sabbatismum*, quem summo desiderio exspectare debent (IV: 9-11), ad coelestem regionem, ad veram beatorum patriam (XI: 14, 16), ad Dei viventis urbem, *Hierosolymus* coelestes, et ad Angelorum coetum ecclesiamque primogenitorum, in coelis conscriptorum (XII: 22, 23). In quibus omnibus vestigia animadvertere licet doctrinae, quâ haec vita terrestris tempus habenda est praeparationis ad homines formandos coelesti habitationi (II: 10, XII: 10)<sup>1)</sup>. Sed difficilius est dictum, quatenus hac ipsâ in terrâ renovationem sibi proposuerit scriptor, quum XII: 26-29 novum magis Foedus sensu spirituali spectari videatur. Locus enim, quo beatam vitam beati degent, vocatur caelum, urbs fixa habens domicilia, *Hierosolymae* coelestes (XI: 10,

1) Cf. Usteri, l. l. in ann. G, p. 398.



16. XII: 22), sanctuarium coeleste supra omnes nubes (IV: 14. IX: 24), τὸ ἐσώτερον τοῦ κατὰ πτεράσματος (VI: 19). Quae tamen omnia minime proprio sensu sumsisse scriptorem, ut nonnulli putant, supra jam vidimus <sup>1)</sup>.

Tum vero, Jesu redeunte, fidem ei habentes summâ perfectissimâque ratione accipiunt δόξαν (II: 10), σωτηρίαν αἰώνιαν (V: 9), αἰώνιαν λύτρωσιν (IX: 12), αἰώνιαν κληρονομίαν (VIII: 6. IX: 15. X: 36), imo vero tamquam υἱοὶ participes fiunt κρείττονος ἀναστάσεως, atque τῆς ἀγιότητος αὐτοῦ (XII: 10). Felicitas illa vocatur *quies*, quae continetur liberatione ab omni pugnâ et afflictione; quâ imagine nulla *Christianis*, persecutionibus obnoxiiis, magis idonea grataque excogitari potuisset? Pro voce κατὰ πανσις (III: 11, 18) deinceps de industriâ substituit scriptor vocabulum σαββατισμὸς (IV: 9), quo legentis animum ad ea revocat, quae supra (s. 3, 4) de Deo, septimo die quiescente, dixerat, simulque docet, esse in *sabbato* typum, sive adumbrationem coelestis vitae, quae et ipsa perpetuum *sabbatum* est habenda <sup>2)</sup>. Cum vero *Christiani* dicuntur quiescentes ab operibus, intelliguntur sine dubio curae, molestiae, dolores, verbo, quaecumque hominem in hac vitâ fatigant atque exercent (cf. VI: 10, ἔργον. X: 32, ἔβλησις παθημάτων. XII: 1, ἀγῶν): nam distinguuntur ab operibus, quae Deo propria sunt. Hujus autem *sabbatismi* indolem accuratius considerantibus, nobis in oculos incurrit similitudo, quae inter Dei hominisque quietem intercedere statuitur. Etenim Deus ubi dicitur a suis operibus quiescere, quid aliud significatur, nisi Ipsum perfectâ creatione gavisum esse (Gen. I: 31)? Ita fidelium etiam *sabbatismus* in eo ponatur necesse est, quod, quâvis contra peccatum pugnâ cessante, plenissimâ

1) Vel sic tamen coelum tamquam certum quendam locum nobis esse cogitandum, recte monet S. K. Thoden v. Velzen, *het Ev. aan de dooden verk.*, p. 73.

2) Hanc quoque Judaeorum et Patrum fuisse doctrinam pluribus exemplis probant Abreschius et Bleckius ad h. l.

tantur victoriâ, deque operibus in Deo perpetratis, in aeternum gaudeant.

At vero cum summa Dei, quae in absolutae creationis consideratione consistit, beatitudo continuam ejus in mundo procreato operationem minime excludat: per piorum *sabbatismum* haudquaquam otium inane est intelligendum. Quamquam enim terrestri hujus vitae scopum attigerint, coelestisque societatis participes facti sint, magis tamen magisque ad perfectam christi imaginem informari debent, eoque magis, cum peccatum omniaque, quibus in hoc stadio impediti erant, ibi evanuerint <sup>1)</sup>. Cuiam autem negotio ibi destinati erunt *Christiani*, non diserte indicatur. Etenim eorum liberatio, quo major iis afferatur consolatio, potius a parte negativâ q. d., quam positivâ proponitur. Vel sic tamen pii dicuntur Deum videre (XII: 14), arcissimâ cum eo conjunctione uti, ad ejus imaginem informari <sup>2)</sup>, atque βασιλείαν ἀσάλευτον accipere (s. 28); quod regnum cum christi imperium includere videatur, gloriâ et honore cum eo coronabuntur (II: 8, 9). Hic autem si tamquam praecursor coeleste sanctuarium ingressus proponitur (VI: 20), inde facile sequitur, *Christianos* ibi sacrificaturos esse θυσίαν αἰνέσεως, ejus nomen glorificantes (XIII: 15); quae spiritualis sacrificacionis notio in ipsâ σαββατισμοῦ voce, quâ sabbati celebratio, in Dei honorem facta, significatur, jam continetur.

Ad hujus *sabbatismi* gloriam indicandam, eximiae quaeque usurpantur imagines atque denominationes. Non terrena erat et ab hominibus aedificata, adeoque temporis lapsu destruenda civitas, sed firma, perdurans (XIII: 11), aeterna, coelestis (XII: 22), θεμελίους ἔχουσα πόλις, cujus architectus et faber Ipse est Deus (VIII: 2. IX: 24). Egregium Ipsius Dei, summi Opificis, dicitur opus, cum cujus

1) Cf. Tholuckius, ad IV: 10.

2) Vid. Thol. in *Comm.* ad orationem monti, ad Matth. V: 8.

gloriâ nulla humana res est comparanda. Haec autem quam egregie faciant ad celebrandam beatitudinem illam coelestem, quis non videt? Hinc enim colligere atque metiri licet, quanta sit civitatis illius pulchritudo, magnificentia, gloria, opes, felicitas; talis nimirum, qualis decet talem artificem, Deum, qui ipse ibi beatorum beatitudo erit. Recte ideo vocatur tabernaculum verum, quippe quod non homo sed Deus compegit (VIII: 2. IX: 11, 24).

Haec omnia esse imagines atque symbola, ad summam coelestis vitae gloriam depingendam, patet etiam ex illius atque civitatis terrestri oppositione (XII: 22). Illustriores atque pulchriores res *Judaicis* non erant cognitae, quam quae ad cultum *Mosaicum* atque Theocratiam pertinebant: attamen haec omnia, aequè minus ac umbra cum ipsâ re, cum coelesti melioris Foederis gloriâ erant comparanda (VIII: 5). Quemadmodum vetus lex ex monte *Sinaitico*, sic ex coelesti illo loco divinâ Spiritûs vi novae ecclesiae data lex procedebat, atque ex illo hostibus suis, imò rerum universitati imperat Sospitator. Cum hoc autem monte arctissime junctae erant *Hierosolymae*, urbs sancta, ubi peculiari prorsus ratione habitare voluit Deus suamque praesentiam patefacere <sup>1)</sup>. Ibi, in coelesti civitate et sanctuario, praecursor CHRISTUS jam intraverat, eumque, ad Dei dextram gloriâ et honore coronatum, sequuntur *Christiani*. Ibi intima cum eo conjunctio et summa ejus majestatis gloriaeque plenitudo conspiciuntur et sentiuntur, in felicissimâ illâ Angelorum hominumque beatorum societate, Dei CHRISTIQUE communionè. Etenim fide jam nunc pervenerunt ad frequentiam et ecclesiam multorum millium Angelorum et primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis,

1) Stier, l. I. I. 293: »Die Himmel,« inquit, »zwischen der Erde und dem Throne der innersten Gegenwart des Allerhöchsten, Alles, was sie an uns kaum bekannten Lichtwesen und Lichtwelten begreifen — siehe da das wirkliche Zelt der Teppiche vor dem Allerheiligsten, mannigfach gebaut und geordnet, wie Moësis Hütte im Vorbilde war.«



et ad iudicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem JESUM (XII: 22-24)<sup>1)</sup>. Temporis ordinem hac in recensione observari sponte in oculos incurrit. Primo de Angelorum<sup>2)</sup>, qui in Dei communione manserunt, myriadibus, dein de ecclesiâ primogenitorum ex hominibus, quibus verisimiliter complures N. T. testes, nubes illa c. XI, intelliguntur, denique de ipso Domino loquitur scriptor. Sic coelum denuo cum terrâ junctum dicitur<sup>3)</sup>. Cives coelestes jam summâ fruuntur beatitudine in intimâ Dei christique communione, qui adhibitâ fide vixerunt, hisque adduntur spiritus perfectorum justorum, sive *Christianorum*<sup>4)</sup>. *Spiritus* vocantur, quia resurrectio nondum obtinuerat, et *perfecti justî*, quia christus expiationem et *τελείωσιν* jam effecerat (cf. X: 14). Praerogativam igitur *Christianorum* prae V. T. primogenitis in eo agnoscere videtur scriptor, quod coelestis beatitudinis gradus pendet ab iis, quae in terrestri hoc stadio didicimus.

In coelo adeo fideles perfectissimâ fruuntur *σωτηρίᾳ* (II: 10), honore et gloriâ christi (II: 9), verbo quibuscumque *ἀγαθαῖς μέλλουσι* (X: 1): nam licet horum hac in terrâ jam aliquatenus participes fiant, in coelo tamen aliquando, cum Dominus redierit, perfectione atque inturbatâ ratione ad *τελείωσιν* et *αἰωνίαν λύτρωσιν* (IX: 12) perventuri sunt. Scilicet hoc indicatur XI: 13, 39, ubi V. T. fideles dicuntur in fide obiisse, promissionem nondum nacti. Ibi enim discrete haec

1) Vid. de h. I. Heringa El. f. *Nagelatene Leerr.* I: p. 167 sqq.

2) Cum Bengelio et pluribus interpretibus hodiernis *ὄκ πανηγύρις* ad Angelos referenda esse videtur.

3) Stier, l. I. II. 325: » Si sind *Erstgeborene* gegen die Kinder des Neuen Bundes, wie die Engel Erstgeschaffene gegen die Menschen. Cf. Bengelius ad h. I.

4) Beng. ad h. I.: » Hoc extremo loco Apostolus ea enumerat, quae viatorum oculos oeconomiae Dei splendore percussos ex oeconomia Christi lenius afficiant et reficiant. Aliter quodammodo explicent Bleekius et Thol., de quibuscumque piis hoc accipientes.

additur causa: *ne sine nobis perfecti redderentur* (s. 40). Attendas quaeso, quod mortui fideles non dicuntur non perfecti redditi *sine christo*, sed *sine nobis*, id est sine iis, qui durante *Christianâ* periodo credebant. Ex hujus epistolae doctrinâ unum constituunt corpus, cujus christus est caput, ii omnes, qui ex humano genere servantur. Hoc autem corpus tum demum perfectum dicitur, cum omnia ejus membra ad *τελείωσιν* pervenerint. Qui mortui sunt fideles, corpore peccati et mortis deposito, liberi quidem dicuntur a miseriâ et pugnâ, quiescunt quidem a labore, sed ut perfecti coram Deo constituentur, eorum corpus etiam resuscitari debet. Quo facto fideles subjectivo demum sensu, q. d. perfecti erunt, cum christo intime conjuncti et gloriâ affecti, illustri ipsius die, Deumque adspicientes cum eo imperabunt. Multi filii ad gloriam ducti per christum ἀρχηγὸν cunctisque rebus creatis imperantem, primario Dei consilio in mundo creando respondebunt (II: 5-10), mundo futuro ipsorum pedibus subjecto. Tum et ipsi summâ gloriâ et honore coronati erunt, prouti jam christum cernimus, atque promissio, Ps. VIII exhibita, omni suâ vi, eventu erit comprobata.

Illa vero δόξα coelestis in aeternum durabit. Etenim aeterna, ἀσάλευτος est βασιλεία, quae nullâ concussionē vacillat, urbs fundamentis firmissimis superstructa, cujus status certus est perpetuusque, cum in mundo nihil est nisi fluidum et caducum. Opponitur levibus tentoriis, ab hominibus constructis, quae, cum fundamentis careant, facile mōventur, in quibus patriarchae vivere solebant (XI: 10, 13-16. XII: 22, 28). Hac in terrâ *Christiani* hospites et peregrini, quales pii patres se agnoverant, erant dicendi: nullum habebant fixum habitaculum, manentem civitatem nullam, sed futuram eamque meliorem patriam quaerebant (XIII: 14). Haec autem patria fixa est sedes, haec Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίος erat stabilis et aeterna, veluti omnia in regno *Messiano* aeterna sunt atque immutabilia.

## CAPUT III.

QUA RATIONE JESU CHRISTI FRUCTUMQUE OPERIS, AB EO  
PATRATI, PARTICIPES FIANT MANEANTQUE CHRISTIANI.

Consilium hujus epistolae cum esset, ut *Hebraeos* ad fidem etiam in persecutionibus servandam, et Evangelium in ipsis afflictionibus profitendum corroboraret, saepius de hac fide constantiâque mentio injicitur. Etenim sine illâ πίστις, παρ-  
ίησις, ὑπομονή gratiae iis oblatae neque participes fieri pote-  
rant neque manere (II: 3. IV: 2. X: 25-27, 36, 39. XII: 25). Longâ fidelium serie ostendit scriptor, quid fides sit, eorum-  
que exempla ad imitandum proponit.

## § 1.

*Libere Deum adire debent Christiani. Πίστις.*

Universe fides in hac epistolâ, prouti in PAULI Apostoli scriptis, tamquam conditio proponitur, sine quâ *Messiana* felicitas percipi nequit, et tamquam cordis sensus animique principium, sine quo nullus hominis actus Deo placere potest (XI: 6). Est firma et stabilis persuasio humilisque fiducia in iis reposita, quae Deus docuerit, monuerit, minatus sit, promise-  
rit, nitens Dei sese patefacientis veritate et gratiâ; est certa animi affectio, quâ invisible quid, veluti oculis cernimus, firmiter arripimus atque tenemus. Latiori autem sensu scri-  
ptor hîc de fide loquitur. In epistolis *Paulinis*, ubi fiduciae legis operibus habitae ubivis opponitur, fides in Dei per  
CHRISTUM gratiâ posita, ad salutem ducens significatur: hîc  
vero, ubi ignaviae opponitur, spectatur fides, quae cum pa-  
tientâ semper juncta est, habitâ ratione divinarum promissionum implendarum, fides promissis divinis habita, et laeta  
corum, quae Deus nos sperare jubet, expectatio (X: 35-39).



Quod tamen non ita accipiendum est, ac si plane diversa esset fidei natura et indoles: nam, alia licet ipsius spectetur pars, res ipsa tamen eadem manet. Neque, veluti nonnulli putant, in N. T. alia fides proponitur, quam in V. 1), neque *Christiana fides Judaeorum* fiduciae in *ἔργοις νόμου* repositae opponitur; at vero significatur fides, quâ homo Deo placet atque ab Eo laudatur, adeoque rerum invisibilium et futurarum firma expectatio. Ἔστι δὲ πίστις ἐλπίζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος αὐ βλεπομένων (XI: 1). Non logicâ accuratione, sed quoad effectus magis concinnata fidei descriptio habetur 2). Etenim hic de totâ fidei naturâ non disserit scriptor, sed partem eligit, suo consilio congruentem, quâ cum patientiâ semper conjuncta sit. Dicitur ὑπόστασις (coll. III: 14 et I: 3), id est *essentiâ* q. d., id quod vere existit, quia iis, quae nondum apparent, corpus indit, et nobis ea praesentia exhibet, quum adeo certos nos de illis faciat, ac si re ipsâ jam adessent 3). Sic de invisibilium et futurarum

1) J. Chr. K. Hofmannus, in op. l. *Weiss. u. Erf.* I. 60. II. 225, *Israëlitis* spirituale vitam personalem abjudicat, adeoque fidem prorsus aliam iis tribuit, quam N. T. credentibus. Contra F. Delitzsch, l. l. p. 233 sqq., hoc commentum refutat, ostendens *Israëliticam* quoque fidem in eisdem, licet nondum visae, salutis expectatione fundatam fuisse, quâ *Christianorum* fides. Eorum igitur fides obscurior quidem erat atque facilius concutienda, sed naturâ eadem. Idem hoc statuisse hujus ep. scriptorem sponte patet. Cf. G. F. Oehler, *Prolegomena zur Theologie des A. T.* Stuttgart. 1845. p. 88 sqq.

2) Cf. B. v. Willes, in J. ab Utrecht Dresselhuus, *N. Bijdr. tot bevord. v. tijb. uitl.* 1. 2. p. 390; ubi vertit: » *Geloof nu is grond van hetgeen wordt gehoopt, bewijs van niet gezien wordende dingen.* Men » zoekt hier geene beschrijving van het denkbeeld *geloof*. Bij eenige nauwlettendheid vindt men alleen opgaaf van hetgeen geloof, (de daad des geloofs) medebrengt. Dit vers wijst aan wat zij in het geloof bezitten, die » *geloof* hebben, *vastheid* namelijk en *zekerheid*, ook wanneer men niets ziet. » Dit denkbeeld wordt geheel dit hoofdstuk door met bewijzen gestandl, zoo » als d it vooral blijkt uit vs. 7, 8, 13, 16, 27, 29.»

3) Palcre inquit Slierius ad h. l. II. 87: » So wird dem Glauben das erst » Gehoffte schon zur Grundlage, die ferne Vaterlandsküste schon zum Ankergrunde (VI: 18, 19), das Zukünftige zum Gegenwärtigen, dass er in der

rerum veritate atque essentia persuasum est credenti. Fides a visibilibus ad invisibilem omnium rerum causam creatricem ascendit, et intelligit, constructum esse mundum invisibili Dei verbo, ita ut quae videntur non sint ex apparentibus facta (s. 3). Etenim haec descriptio plane congruit cum huius epistolae consilio paraeneticum, ut adeo proponatur fides tanquam constantia et patientia mediis in afflictionibus et luctibus vitae terrestri, quâ *τελειώσεως* finis ardentem expectatur, magisque ad eum pervenitur. Ab altera tantummodo parte consideratur, quocirca et ABRAHAMI fidem a constantia praesertim laudari non miramur (XI: 8-19). Quid? quod hac ratione ipsius JESU exemplum maxime imitantur fideles, quippe qui sub vehementissimis perpressionibus obedientiam atque fidem exercuerit, adeoque laetitiam ipsi propositam sit assecutus (XII: 2). Fides autem quum ad spectari proponitur (XI: 1, 7), denotat invisibilem, quae sub sensibus non cadunt, certam persuasionem, quâ ipsâ continetur divini Verbi praestantiae experientia (VI: 5). Illâ fide *Christiani* jam gustant seculi futuri virtutes, et in manus accipiunt aeternae gloriae spiritualisque hereditatis arrhabonem (VI: 4). Eâ jam transeunt per coeleste illud velum, quo coelum adhuc tegitur humano oculo, eoque jam ingressi sunt, quo praecursor JESUS ante eos et pro iis ingressus est (VI: 20). *Substantia* cum dicitur fides, futuram non tantum salutem et longinquo sperat, sed eâ veluti huc traductâ nunc jam fruatur. Quam ob causam non tantum eorum quae sperantur expectatio, sed et persuasio rerum, quae non videntur, fides vocatur 1). Capite X: 39 autem prae ceteris per *πρωτον* signi-

» neuen Welt seiner Hoffnung lebt, wirkt, webet und wohnt; denn es ist  
 » eine wirkliche Welt der gehofften Dinge, in die man eintritt, die in uns  
 » eintritt durch den Glauben, und das gütige Verheißungswort Gottes gibt  
 » den Gläubigen wahrhaftig zu schmecken die Kräfte der zukünftigen Welt  
 » (VI: 5).» Quenam res invisibiles intelligendae sint, vid. p. 88.

1) Cf. Usteri, l. l. 94, 151 sq.; Bleekius, *Einl.* I. 310 sq.; Neander, II. 685 sq.; Thol. 380.

ficatur perseverantia in religionis *Christianae* professione, cujus contrarium dicitur *ὑποστολή*, *subtractio* eorum, qui professionis suae obliti, CHRISTUM deserebant.

Quae si rite teneamus, capiti XI egregia affertur lux. Eo omnes qui commemorantur fideles, insignes sunt, quod persuasissimum iis erat de rebus, quas oculis non cernebant et firmissime exspectabant, quae adhuc futura erant. At vero et res ipsa loquitur, et ex singulorum horum virorum historiam quam luculentissime apparet, *varius* fuisse res *credendas*, vario se *modo* fidem habuisse, variis denique *effectibus* hanc se conspicuam reddidisse<sup>1)</sup>.

Hanc autem fidem necessario requiri ad salutem jam e loco laudato, X: 29, apparet, ubi de *πίστει εἰς περιπόνησιν ψυχῆς* legimus, sed et efficere licet ex IV: 3, ubi *οἱ πιστεύσαντες* soli dicuntur ingredi in requiem. Fidem praecedentem sequitur ingressus in requiem: *πιστεύειν* enim, licet nonnumquam et *fidem amplecti* significet, h. l. sine dubio significat *fidem praestare, credere*. Ita VI: 1 *μετάνοια ἀπὸ νεκρῶν ἔργων* arctissime jungitur cum *πίστει ἐπὶ θεόν*. Fiduciam non debent reponere in mortuis et inutilibus legis operibus, sed in Deo vivente (coll. IX: 14). Hic quoque firma et constans fiducia in Deo ejusque promissionibus posita, primaria est notio, adeoque, quatenus omnium divinarum promissionum summa in CHRISTO tantum ejusque imperio impleta est atque in posterum impleri potest, *πίστις ἐπὶ θεόν*, de qua legimus, plenam continet fidem, CHRISTO et Evangelio habitam. Hi vero, qui non omnem in CHRISTO, et expiatione ab eo facta, ponebant fiduciam, sed praeter perfectam expiationem continue aliis etiam sacrificiis aliisque lustrationibus opus esse putabant, veram etiam fidem *ἐπὶ θεόν* carebant, ut adeo hoc

1) Vidd. P. J. L. Huët, *Diss. de antiquissimorum Dei cultorum, qui in epistolae ad Hebr. c. XI memorantur, fide diversâ eademque unâ*. Lugd. 1824; et C. F. Steinus, *de fide veterum*. De s. 1-6 cf. *Misc. Diss.* II.



quoque nomine necesse esset, ut prima *Christianae* religionis fundamenta rursus apud eos struerentur <sup>1)</sup>).

Itaque fidei ratio in hac epistolâ ponitur in *fiduciâ* eaque, Dei testimonio nitente; cujus tamen sedes primaria non in intellectu, sed in sensu, est quaerenda. Idcirco ἡ ἀπιστία vehementer reprehenditur (III: 18, 19. IV: 3). Eâ ingressus in requiem prohibetur (III: 19), neque juvat verbum praedicationis, si non mixtum est cum fide audientium (IV: 2). Sed et *cognitio* necessario ad fidem requiritur, implicitâ q. d. fide non admissâ. Dicitur accepta veritatis cognitio (X: 26); *Christiani* vero *cum* reprehenduntur ob tarditatem, quippe qui, quum temporis ratione habitâ, jam doctores esse debuissent, rursus ut ab aliis docerentur prima Evangelii elementa indigerent (V: 12-14), tum gravissime admonentur ut, τῷ τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγῳ omisso, ad perfectam ferantur institutionem (VI: 1). Attendendum est iis ad salutarem Evangelii annunciationem, quae tot tautisque firmissimis fundamentis munita est (II: 3).

Variis itidem sub imaginibus proponitur fidei *efficacitas*. Fide confugi dicitur ad spem propositam tenendam, veluti profugi e naufragio summâ celeritate omnique virium contentione nituntur, ut anchoram navis arripiant et firmissime amplectantur. Sicut haec, navi appensa, non sinit eam fluctibus circumferri, etiamsi venti eam quatiant immites, sed firmam reddit et stabilem et inconcussam, ita et spes, non in terrâ defixa, sed in Deo reposita animum nostrum, etiamsi corpus affligatur aerumnis et occidat, immobilem et solidum reddit in mari hujus vitae, procellis agitato, et ad salutem perducit (X: 39), penetrando usque in interiora velamina (VI: 18, 19). Ultimâ hac imagine in primis fidei indoles in-

1) Cf. Bleekius ad h. l. Wittichius: » Fides Evangelio adhibita, haec » fides dicitur ἐπι θεῶν, quia dum Evangelio creditur, creditur praestitisse » Deum promissa facta patribus eaque in Christo implevisse.»

dicatur, factâ comparatione cum ingressu in sanctuarium intimum, quo nos perducit spes illa certissima, per viam recentem vivamque, Jesu sanguine apertam, et bona aeterna invisibiliaque nobis parat, ad ipsum gratiae thronum nos adducens. Communione hominis peccantis cum sancto Deo restitutâ, liber patet aditus per christum ad ipsum coelum (VII: 25), adeoque corde sincero, fide plenâ et firmissimâ, certissimâ etiam in christi promissis repositâ fiduciâ accedere debent *Christiani* (X: 22). Etenim christus, in cujus sanguine nostra est redemptio novaque ad coelum via nobis aperta est, hac jam in terrâ liberam προσευγωγὴν πρὸς τὸν πατέρα patefecit (X: 19, 20), coelumque aperuit fidelibus (IV: 16). *Christiano* autem jam hîc de suâ salute constare posse et patet e disertis enunciatis (IV: 3, 9. VI: 18, 19. X: 34), et ex adhortationibus, his superstructis (III: 6. IV: 11. VI: 11. X: 22, 23. X: 35-39), ut ad πληροφορίαν πίστεως pervenire studeant, quod apostasiae periculo magis etiam adurgetur (VI: 4 sqq.). Sed vel sic tamen summa felicitas, de quâ fide certo persuasum nobis est, in alterâ demum vitâ re verâ percipitur, ubi τὸ ἐγγίξειν sive προσέρχασθαι, post mortem in ipso coelo, ad finem pervenerit (VII: 19, 25. IX: 8). Inde arctissimum, quod intercedit in hac epistolâ inter πίστιν et ἐλπίδα vinculum, de quo nunc videamus.

§ 2.

Ἐλπίς.

Quemadmodum ab alterâ parte ὁ αἰὼν μέλλων tamquam futurus proponitur, ab alterâ vero tamquam fidelibus jam praesens; quemadmodum et dicuntur *Christiani* in τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ingressuri esse, et simul jam ingressi: ita et de eorum introitu in sanctum sanctorum eadem affirmantur. Ἐλπίς in hac epistolâ dicitur fides, quatenus circa res futuras versatur, cumque fide adeo arctissime conjungitur, imo vero cum

eā permutatur. Uti nempe fides firmiter tenet mundi invisibilis res praesentes et futuras reverā existere (XI: 1), ita spes denotat laetam fiduciam (καύχημα, II: 6), ex futuri aevi persuasione ortam, atque certitudinem aliquando se participem fore τῆς βασιλείας τῆς δόξης, unde spes et laetitia notiones sunt cognatae. Πίστις igitur transit in ἐλπίδα, cum non solum sermo est de fiducia, quā fideles in vitā terrestri accedunt ad Dei thronum (IV: 16. X: 22), sed in primis de eā, quā in vitā coelesti ad Dei communionem plenius pervenitur, σίαν ἔχων τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ὁ νόμος (VIII: 8. X: 1). Utramque arctissime conjunctam invenimus X: 19-22. Egregie AUGUST. VICTORIS hoc enunciat discrimen simulque hanc inter utramque convenientiam: „per fidem „solam certi sumus de aeternis quod sunt, per spem vero, „quod ea nos sumus habituri confidimus” 1). Quaecumque igitur spes ponit fidem, ex quā praesertim ἐν ταῖς ἐλπίσειν nascitur. Nimirum tunc maxime versatur in futuro, ubi praesens non nisi tristitiam parit, et ad spem melioris se evehit. Tum in primis mediis in aerumnis, quae X: 32-34 memorantur, animi oculus dirigitur in bona meliora et sempiterna in coelis (s. 34), atque παρρησία magnam habet mercedem (s. 35). Deinde vero notio ἐλπίδος et ἐπομένης, inde orta, denuo transit in πίστεως notionem (s. 38 sq.).

Exinde enim quod ἡ σωτηρία et tamquam praesens, et tamquam futura occurrit, varia sequitur τῆς πίστεως et ἐλπίδος notio, diversisque scriptor utitur vocabulis, nempe ὁμολογία (IV: 14), τὰ ἐκρούθεντα (II: 1), χάρις (XII: 15, 28), ἐπαγγελία (IV: 1. VI: 12), ἡ προκειμένη ἐλπίς (VI: 18), ἡ ὁμολογία τῆς

1) In *Quaestionibus circa epistolam ad Hebr.* ad h. l. Cf. Usteri, l. l. p. 249 sqq.: „Die ἐλπίς,” inquit, „ist die feste Hoffnung, dass das Reich Gottes auch im geschichtlichen Gebiete werde realisirt werden, dass durch den völligen Sieg des Christenthums das Aeußere mit dem Innern in harmonischer Uebereinstimmung werde gebracht werden.“



ἐλπίδος (X: 23), quatenus vel de praesenti, vel de futurâ felicitate magis injicitur sermo. Ἐλπίς enim certissima est *Christianorum* (expectatio absoluti Dei imperii perfectaeque gloriae, communionis, quae credentibus promissa est, quaeque iis continget, JESU redeunte (III: 6. VI: 11, 18. VII: 19. X: 23). Quodsi ἐλπίς recte dicitur ea animi affectio, quâ futuram quietem atque σωτηρίαν tenemus, jure statui potest a scriptore, *Christianos τῇ ἐλπίδι* participes esse bonorum coelestium αἰῶνος μέλλοντος, eaque jam esse liberatos a perpessione et afflictione, quibus in hoc terrestri stadio premuntur. Unde perspicue nobis elucescit arctissimus, qui intercedit, nexus inter utramque notionem πίστεως et ἐλπίδος: nam ab alterâ parte ἐλπίς ne cogitari quidem potest sine πίστει, ab alterâ in πίστει absolutâ ἐλπίς jam continetur; quid? quod πίστις, quatenus futuri aliquid respicit, ipsa est ἐλπίς, unde πίστις saepius latiore sensu occurrit, quo ἐλπίς simul continetur 1).

Prouti verbo jam indicavimus, fructus τῆς ἐλπίδος est ἡ ὑπομονὴ ἐν ταῖς θλίψεσιν. Idcirco utraque in hac epistolâ tam arcte conjungitur, ut vel inter se permutantur. *Christiani* admonentur ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος, ad plenam spei perfectionem, etiamsi, cunctante christi reditu, multa diripaterent, eoque magis has admonitiones repetitas invenimus, quo magis hanc spem firmiter tenerent promissionemque cum μακροθυμία, patientiâ usi, nanciscerentur (VI: 11. X: 23), additis eorum exemplis, qui, prouti ABRAHAMUS, hac in re ad finem attenderant. Ex hac autem ἐλπίδι, si viva est et efficax, mediis in malis καύχημα τῆς ἐλπίδος (III: 6) oriri potest, magna laetitia et exsultatio, quâ bona futura tam certo exspectamus, ut eorum possessione jam gloriemur. Hoc enim καύχημα τῆς ἐλπίδος fundatum est in τῇ παρήσῃ τῆς

1) Usteri, I. l. p. 252 sq.

ἐλπίδος, laetâ spei fiducia, e quâ sponte profluit 1), ut adeo bonorum spoliationem cum laetitiâ feramus (X: 34).

Inde etiam patet, *Christianos* jam hac in terrâ de suâ salute, quae in nostrâ epistolâ sub quietis imagine proponitur (IV: 9), sibi conscios esse posse 2); quid? quod diserta hac de re enunciata in eâ inveniuntur. *Nos enim* (ita e. c. legimus IV: 3), *qui credidimus ingrediemur in quietem, sicut dixit Deus. Nam relinquitur sabbatismus populo Dei* (s. 9). Dei promissio eique additum jusjurandum praebent fidelibus ἰσχυρὰν παράκλησιν, ita ut habeant προκειμένην ἐλπίδα, ὡς ἄγκυραν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν κ. τ. λ. (VI: 18, 19). Quid? quod sciunt (γινώσκουσι) se habere multa praestantiora bona in coelis eaque manentia (X: 34). Quae *Christianorum* spes cum ita firmiter stet, jure ex eâ depromuntur adhortationes, ut παρήσϊαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατέσχωσι (III: 6), ut studeant in quietem ingredi, ne quis eodem inobedientiae exemplo cadat (IV: 11), ut comprobent studium ad τὴν πληροφoρίαν τῆς ἐλπίδος ἕχρι τέλους (VI: 11), ut accedant plenâ fide, et firmiter teneant professionem spei immotam (X: 22, 23), neque abjiciant confidentiam, ut demum voluntatem Dei perficientes, promissionem assequantur (s. 35-39). Quo magis autem certiores fierent suae salutis, maxime cavendum iis erat, ne deficerent a fide *Christiana* (VI: 4 sqq.), imo vero proficiendum iis erat amore bonisque operibus patrandis (VI: 10. X: 24).

1) Schlichtingius, ad h. l.: »gloriationem de spe aeternae vitae idcirco » requirit D. autor, quia spem firmam in animo latentem certissimo signo et » indicio prodit ejusque effectus est. Fieri enim nequit, quin is, qui spem » eamque certam ac firmam habet aeternae salutis, de eo etiam gloriatur i. e. » perpetuo eam in ore habeat eoque nomine se felicem ac beatum praedicet: » unde mirum non est, quod gloriationem hanc in hominibus *Christianis* re- » quirat.» Cf. Bleekius ad h. l. (11: VI)

2) Cf. W. Muurling, *Kan de Christen aan deze zijde des grafs van » zijn' toekomstigen gelukstaat eene stellige verzekering verkrijgen? zoo ja, » in hac verre en op welke wijze?* in diario *W. in L.* 1842. IV. p. 657 sqq.



*Patienter calamitates subire debent Christiani.*

Στηριγμὸς, ὑπομονή.

Paraenetica hujus epistolae pars, cum plane accommodata sit ad lectorum conditionem, ex hac conditione optime explicatur, cur tot tantaeque adhortationes inveniantur ad fidem et constantiam in profitendo Evangelio conservandam. Etenim Christiani *Palaestinenses*, ad quos epistola missa fuit, πολλήν sustulerant ἀβλήσιν παθημάτων (X:32), quae ἀβλήσις μέχρις αἵματος fere fuerat (coll. XII:4). Quid mirum, scriptorem, persecutionibus, quae aderant, crescentibus, metuisse, ne *Christiani* deficerent a professione, contra quod periculum praeter ceteris eos adhortatur. Hoc defectionis periculum majus etiam erat, ob *Judaicorum* doctorum seductionem, *Mosaici* cultus splendorem, et pravam opinionem, quam de suis perpeccionibus fovebant, veluti poenam illas habentes, quam meruissent ob abnegatam *Judaicam* religionem (XII:4-11). Hanc ob causam saepius eos admonet προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι (II:1), et κατανοεῖν τὸν ἀπίστολον καὶ ἀρχιερέα ὁμολογίας (III:1), gravissimeque eos adhortatur, ut sibi caveant a τῷ ἀμελεῖν σωτηρίας (II:3), a σκληρύνειν corda (III:8), a καταλείπειν τὴν ἐπαγγελίαν (IV:1), ab ὑποστέλλεσθαι (X:38), et ab ἐγκαταλείπειν τὴν ἐπισυναγωγὴν (X:25) <sup>1)</sup>. Eodem sensu eos instigat πρὸς τὸ κατὰσχειν τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως (III:14), ad constanter retinendam spem, quam conceperant et alerant, ad christi religionem adducti; nam tunc toti se dederant christo, omnibus ceteris omissis (VI:10. X:32). Etenim cum initium fecisse non sufficeret, eos admonet ut ad finem usque pergant, σπουδάζειν εἰσελθεῖν εἰς κατάπανσιν (IV:11). Multa jam percepisse poterant, et vel

1) Cf. J. J. Pfizerus, de congregatione descendit.



sic tamen a fide deficere, ut ad meliorem frugem revocari non possent, poenasque luerent gravissimas (VI: 4-8. X: 26). Et hae poenae eo graviore essent, ubi deficerent a religione, tot tantisque beneficiis insigni. Ne contumaces essent admonentur, ut eorum majores, qui simili ratione ex *Aegyptio* jam fuerant liberati, et tamen, Dei legibus non parentes, in deserto perierant (III: 7), atque ita, beneficiorum Dei immemores, felicitate ipsis destinata exciderant ἀπιστία (s. 12). Summâ curâ igitur niti debebant κρατεῖν τῆς ὁμολογίας (IV: 14. VI: 18), δι' ὑπομονῆς τρέχειν τὸν προκείμενον ἀγῶνα (XII: 1), et ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν πρὸς τὴν πληροφориαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους (VI: 11). Quae omnia enunciata significant firmam atque constantem Evangelii christi professionem, quae prorsus requirebatur ad animum servandum, ut aliquando promissiones divinas obtinerent (VI: 12. X: 36, 39). Etenim si defectio a veteri lege gravissimas jam poenas attulerat justamque mercedem, quid futurum esset ei, qui *Christianam* fidem sperneret, doctrinamque per ipsum *CHRISTUM* annunciatam, Deo ipso simul testante, adeo salutarem parvi faceret (II: 2, 3. X: 28 31. XII: 25)? Denique omnibus his adhortationibus majorem etiam vim addit scriptor, monendo tempus breve esse (X: 37), *JESU*que reditum instare (X: 25).

## § 4.

Ἀγάπη καὶ καλὰ ἔργα. *Varia officia colere debent Christiani.*

Non minus graviter *Christiani* in hac epistola admonentur ad vitam Evangelio congruentem degendam variaque officia colenda. Noster quoque scriptor triadem virtutum *Christianarum* statuere videtur, πίστιν scilicet, ἐλπίδα et ἀγάπην, licet non ita perspicue hoc doceat, ut totius paraeneticæ partis fundamenti instar nobis inservire possit. Capite X: 22,

23 hæc tres virtutes memorantur, adhibitis hisce admonitionibus: *προσερχώμεθα, κατέχωμεν et κατανοώμεν*. Quibus univere monitis, deinceps singulatim agitur de *fide*, XI, XII: 1-24, de *spe*, cujus objectum ipse est CHRISTUS aliquando rediturus, s. 25-28, atque de *charitate*, XIII. In specie vero s. 1 ad *φιλαδέλφειαν* lectores admonentur<sup>1)</sup>. Prouti prioribus tempo-

1) Da Costa, l. l. in *Ned. St.*, p. 273, hæc monet: » Allereerst vinden » wij het geloof, beide in zijnen aart en in zijne werkzaamheid; — en al- » lerlei vermaningen, opwekkingen tot volständigkeit, getrouwheid, heilig- » making, afgeleid uit het groote en eeuwige beslissende onderscheid tusschen » Sinaï en Sion, tusschen Moses en den *Middelaar des N. T., Jesus, wiens » bloed betere dingen spreekt dan Abel*. — Gezeten aan de rechterhand Gods, » is voorts Hij zelve, is Zijn *onbeweeglijk Koninkrijk* het groote voorwerp » der hoop, zoo wel als des geloofs. *Nog éénmaal, en Hij zal bewegen » niet alleen de aarde, maar ook den Hemel!* — *Nog een zeer weinig tijds* » (lezen wij vroeger) *en Hij die te komen staat, zal komen, en niet ver- » toeven*. En even te voren: *C., eenmaal geofferd zijnde om veler zonden » weg te nemen, zal ten anderen maal zonder zonde gezien worden van » de genen die Hem verwachten tot zaligheid*. — Eindelijk is ook de *trouw*, » de broederlijke liefde, de liefde tot armen en vreemdelingen, de liefde tot » de Voorgangeren, de liefde van God en de lof en belijdenis Zijns Naams, » eene dienst in geest en in waarheid, eene dienst van dat priesterschap, » welks stad en heiligdom in den hemel is. *Weldadigheid en mededeelzaam- » heid zijn offerhanden; de belijdenis des naams Gods is een lofoffer* (vs. 15 » en 16). Wie mag zeggen, dat dit uitdrukkingen zijn van bloot figuurlijken » aart, spreekwijzen alleen sierlijkheds- of (wil men?) duidelijkheidshalve » uit de plechtigheden van Israëls aloude eerdienst ontleend? daar, waar de » zamenhang van geheel den Brief, de herhaalde verklaringen van den Apos- » tel zelve, het zoo ondubbelzinnig op den voorgrond stellen, dat die plech- » tigheden geene toevallige inzettingen waren van menschen, maar *bedui- » dingen van den H. Geest* (IX: 8), raadselen Gods, waarvan *Verzoening » in het bloed van J. C.* de sleutel is. Neen! het Nieuwe Testament is » geene andere *Openbaring*, voorgedragen alleen onder de *benamingen* der » eerste; de Apostolische voordracht geene bloote toepassing van woorden en » zaken uit een verouderende Godsdienst op een vroeger niet bedoelden of » niet gekenden leer. Het is, juist omgekeerd, de leer des O. T. in zijne » volle waarheid, het is de leer van gerechtigheid en genade, van *verdoening » en verzoening*, van offerhande en vergeving, van hemelsch-priesterlijke » heiligheid en heerlijkheid; het is de verkondiging van J. C., die, het zij in » de belofte aan de Vaderen, het zij in de schaduwen der Wet, het zij in de



ribus, quibus aerumnis et calamitatibus premebantur, constanter se gesserant multumque amoris laborem pro Dei nomine sustulerant (X: 31-34), idem studium probandum iis erat in spe certissimâ ad finem usque retinendâ (VI: 10, 11). Observandum iis erat, ut alter alterum incitaret ad amoris virtutisque studium (X: 24). Distinguere debebant bonum inter malumque, facultate animi aliquid dijudicandi et perspiciendi usu et studii assiduitate acutâ et aucta (V: 14), neque doctrinâ incertâ in errorem duci (XIII: 8); fructus ferre, ut purâ gauderent conscientiâ (IX: 14, X: 22); doctoribus etiam obedire (XIII: 17), vel potius ipsi Christo (V: 9); rebus suis contenti esse, non avari (XIII: 5), hospitales (s. 2), liberales in egenos (VI: 10), amore fraterno ardentem (XIII: 1), scortationem fugientes (s. 4), alter pro altero preces fundens (s. 18).

Singula autem haec officia *Christianorum* hic uberius exponere supervacaneum nobis videtur. Nobis sufficiat ea verbo indicasse, hoc tantum addentibus, eas hic praesertim memorari virtutes, quae apprime conveniant *Christianorum Palaestinensium* conditioni rerumque adjunctis, atque omnes derivari e fidei radice, unde veluti varii arboris rami sponte exoriuntur. Egregia divinae gratiae beneficia eos urgere debebant ad fructus ferendos labiorum, nomen ejus profitentium (XIII: 15). Etenim regnum non concutiendum adeptis, divina gratia illis firmiter tenenda erat, quâ Ei, secundum Ejus voluntatem, ministrent cum reverentiâ ac pietate (XII: 28)<sup>1)</sup>. Prouti CHRISTUS summus est Sacerdos in coelesti sanctuario,

» voorzeggingen der Propheten, het zij in de verwezenlijking van alles door » Zijne menschwording, gister en heden dezelfde is, en in eeuwigheid.»

1) Argumenta pro hac locutionis ἔχουσιν χάριν interpretatione vidd. apud doct. R. A. S. Piccardt, *Iets over de vertaling der woorden ἔχουσιν χάριν*, Hebr. XII: 28; in J. ab Utrecht Dress., *N. B. tot bev. v. bijb. uitt.* I. 2. p. 336-346; ubi Bleekii interpretatio: *Deo gratias persolvamus*, refutatur. Χάρις autem non gratiae doctrinam sed ipsam salutem in Christo datam, significat.



sic populum sibi acquirit. Sacerdotum. *Christiani* fide cum eo conjuncti ad munere sacerdotali fungendum vocantur, spiritualibus Deo offerendis holocaustis, precum scilicet, confidentiae, constantiae, hospitalitatis, charitatis, pacis, quaeque porro memorantur, X: 19-25. Quo magis autem Deo placeant bonisque abundant operibus, ad finem epistolae scriptor, (XIII: 20, 21): Ὁ δὲ θεὸς τῆς εἰρήνης, inquit, ὁ ἀναγκῶν ἐκ νεκρῶν τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν, καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, εἰς τὸ ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῶν ἐν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

QUESTIONES

CORRIGENDA.

Vere mensuras (in Quest. in Exod. Opp. t. III. p. 701  
 ed. Par. III) in Testamento Novum loci et in Novo  
 Pag. 7. lin. 9. primi. lego: primos.  
 » 24. » 3. singuli loci. » singulos locos.  
 » » » 7. cuncti laudati loci. » cunctos laudatos locos.  
 » 28. » 31. ubi. » ubi.  
 » 65. » 7. quanam. » quanam.  
 » » » 11. utraque. » utraq.

III

locus 2 Tom. III: 15. ibi recte additur ad comprehendendam  
 hanc librorum V. T. brevissimam

IV

Omnes omnino homines spectat praeclearum curati dicitur  
 ad Michaelem: et non me sic xevvngē ēvavēv, ob dēvaxi 15ēv  
 tēs ēvaxēvax tēs ēvōv, Joh. III: 3.

V

Curatē quid Joh. VIII: 58 non dicitur p. d. sed xav  
 tam suam praesistentiam significavit

VI

Hoc prope consilio 1 Parte in mundum missis sunt  
 et, in motum pro hominum peccatis dicitur

## QUAESTIONES.

---

### I.

Vere AUGUSTINUS (in *Quaestt. in Exod.* Opp. t. III. p. 701 ed. Par. alt.) in Vetere Testamento Novum latere, et in Novo Vetus patere contendit.

### II.

Omnino opus fuit patefactione divinâ singulari, ut recta Dei cognitio cultusque inter homines conservarentur.

### III.

Locus 2 Tim. III: 15, 16 recte adducitur ad comprobendam librorum V. T. θεοπνευστίαν.

### IV.

Omnes omnino homines spectat praeclarum CHRISTI dictum ad *Nicodemum*: εἰν μή τις γεννηθῆ ἔνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, Joh. III: 3.

### V.

CHRISTUS apud Joh. VIII: 58 non *idealem* q. d., sed *realem* suam praexistentiam significavit.

### VI.

Hoc quoque consilio a Patre in mundum missus fuit CHRISTUS, ut mortem pro hominum peccatis subiret.



## VII.

Næque JESUS, necque Apostoli sanctam Sospitatoris indolem cum divinâ, quâ gaudebat, naturâ confuderunt, sed inter utramque vere distinxerunt.

## VIII.

Historia de JESU a Diabolo sollicitato nihil impedit, quominus nobis persuasum sit de ejus ἀναπαρτησις.

## IX.

Perverse nonnulli monent, JESUM regni sui condendi consilium diversis temporibus mutasse.

## X.

Jesu parabolâs, apud Joh. c. X. occurrentes, quoad rei caput, non differre a parabolis apud synopticos occurrentibus, contendo.

## XI.

Gal. II: 5 retinenda videtur vulgaris lectio οἷς οὐδέ.

## XII.

Plane improbabilis est eorum opinio, qui Actuum App. non LUCAM auctorem fuisse conjiciunt, sed TIMOTHEUM.

## XIII.

Vaticinium, quod invenitur Jes. IX: 1-6, re verâ Messiam spectat.

## XIV.

Sapientissimum Dei consilium in eo cernitur, quod quatuor ante CHRISTI adventum seculis Theocratia in Israël sensim sensimque decresceret.

## XV.

Fabulosa est narratio de litterarum commercio CHRISTUM inter et ARGARUM regem Edessenum, quae habetur apud EUS. II. E. I. 13.

## XVI.

CONSTANTINI Magni in amplectendâ religione Christianâ  
agendi ratio neque ex unâ miraculorum captatione, neque ex  
politicis tantum causis, neque ex persuasione religiosâ unice  
explicanda videtur.

## XVII.

Optimorum quorumque medii aevi Philosophorum Scholas-  
ticorum doctrina, Deo moderante, multum contulit ad sacro-  
rum emendationem praeparandam.

## XVIII.

Sapientissime Servator duos s. Lavationis et s. Coenae ri-  
tus, in perpetuum societatis Christianae usum, instituit.

## XIX.

Sacrorum Antistitis est eam pietatem Christianam commen-  
dare, quae non modo in animi affectibus cernatur, verum  
etiam in omni vitâ sese manifestet.

## XX.

In puerorum institutione Catechetica recte initium fit a  
tradendâ historiâ sacrâ.

## XXI.

Vaticinium, quod invenitur Is. IX: 1-8, et vet. Testamenti  
spectat.

## XXII.

Sapientissimum Dei consilium in eo cernitur, quod dum  
tunc ante curiam adventum saeculi Theocratia in Ierusalem  
sensim sensimque decesseret.

## XXIII.

Fabulosa est narratio de litterarum commercio curiae in  
Is. et saeculo regni Ezechiae, quae habetur apud Is.

1877  
The first part of the report is devoted to a general survey of the progress of the work during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.

1878  
The second part of the report is devoted to a detailed account of the work done during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.

1879  
The third part of the report is devoted to a detailed account of the work done during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.

1880  
The fourth part of the report is devoted to a detailed account of the work done during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.

1881  
The fifth part of the report is devoted to a detailed account of the work done during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.

1882  
The sixth part of the report is devoted to a detailed account of the work done during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.

1883  
The seventh part of the report is devoted to a detailed account of the work done during the year. It is found that the work has been carried out in accordance with the programme of work approved by the Council at its meeting on 15th December 1906. The results of the work are set out in the following sections.